

## **NUM ECCLESIA HABEAT POTESTATEM INVALIDANDI RITUM SACRAMENTALEM ORDINIS AB EPISCOPIS EXCLUSIS PERACTUM**

**SUMMARIVM:** Circa valorem ordinationis sacramentalis irregulariter collatae, sententiae usque ad saeculum XIII manifestatae non fuerunt clariae et concordantes. Praxis quoque fuit diversa diversis temporibus circa iterationem ritus sacramentalis. Interpretationes exaggeratae a Sohm, Vogel. Explicationes a Hergenröther, Morin, Saltet, Doronzo, theologis; Gibalini, Gasparri, Wernz, Zirkel, canonistis. Mens auctoris: Historia ostendit R. Pontificem probabilissime gaudere potestate invalidandi ordinationes attentatas ab episcopis a se exauctoratis. Hoc suadetur etiam ex indole Ecclesiae, provisae mediis necessariis ad tuendum bonum commune; ex applicatione oeconomiae, ex analogia cum reviviscentia sacramentorum et sanatione in radice matrimonii, ex defectu potestatis necessario requisitae ad potestatem ordinis exercendam contra oppositionem Vicarii Christi. Acta in Concilio Vaticano, nedum infirmant hanc opinionem, potius ipsam solide confirmant.

Documenta in fasciculis praecedentibus allata<sup>225</sup> clare ostendunt doctrinam theologiam circa valorem ordinationis sacramentalis, ex diversis causis haud rite collatae, non fuisse perspicuam neque constantem neque universalem in Ecclesia mediaevali.

Difficultas interpretationis eiusdem prima exurgit ex defectu claritatis in ipsis expressionibus usurpatis ad reprobandas ordinationes irregulares. Etsi termini «irritum», «vacuum» et similes possint significa-

---

<sup>225</sup> Cf. Periodica 77 (1988) 289-328; 425-488; 575-612.

re, et saepe indubie significant, reprobationem et inanitatem in foro iuridico Ecclesiae et pro praxi, salvo valore obiectivo, saltem radicali<sup>226</sup>, aliquando istae expressiones occurrunt in contextu qui videtur indicare totalem reprobationem ritus peracti, etiam in foro Dei, ita ut nullius valoris sit. Quod interdum significatur etiam addendo vim expressivam maioris reprobationis, declarando ordinationem *penitus, omnino* irritam, vel huiusmodi. Accedit quod saepius diversam interpretationem acceperunt documenta Conciliorum et Pontificum. Recordemur v. gr. canonis 8 Concilii Nicaeni et epistolarum Innocentii I et Leonis Magni, quarum auctoritas frequenter invocata fuit sive in Conciliis sive in scriptis ad contradictorias positiones sustinendas<sup>226</sup>.

Liceat in illustrationem breviter rememorari quosdam interventus tam Pontificum quam Conciliorum maiori certitudine probatos.

Inter Pontifices plures sententiam ferunt absolute contra valorem ordinum irregulariter collatarum. Digna ratione in hoc agentes nominari possunt, praeter Stephanum II in causa Constantini, et Ioannem VIII in reordinatione Iosephi Vercellensis, praesertim Nicolaus I et Hadrianus II circa consecrationem Phocii et ordinatos ab illo; Ioannes XII circa ordines collatos a Leone VIII, neophyto usurpatore pontificatus; Leo X circa ordinationes simoniacas; Urbanus II in casu diaconorum Popponis et Daiberti quem ipse Pontifex reordinavit, quia in ritu diaconali non adhibeatur unctio quae impedit repetitionem huius ritus. Indigna ratione et animo vindicativo ad reordinationes facien-

---

<sup>226</sup> Cf. V. FUCHS, *Der Ordinationstitel von seiner Entstehung bis auf Innocenz III* (Bonn 1930) pag. 103-107.

das processerunt Stephanus IV et Sergius III adversus ordinationes factas a Formoso et consecrationem ipsius Formosi, cum reprobatione Theodori II et Ioannes IX.

Inter Synodos, romana pronuntiata est adversus ordinationes Pontificis Constantini a. 769, et adversus Phocium a. 863, concinente Concilio Constantinopolitano a. 869-870; alia synodus a. 964 adversus Leonem VIII, et a. 1059 adversus simoniacos. Similiter synodus aurelianensis a. 511, praescribens impositionem manuum *ordinatoriam* clericis arrianis redeuntibus ad Ecclesiam, pariterque synodus caesareugustana a. 592; Suessoniensis, declarans nullas ordinationes peractas ab Ebbone post depositionem; et adhuc saeculo XI, Concilium Gerundense a. 1078 ac suboscure Placentinum a. 1095.

His accedunt ambiguitates sive expressionum sive actorum a quibusdam Pontificibus, praesertim tempore reformationis gregorianae, ut Ioannes VIII, Nicolaus II, Gregorius VII, Lucius III, praesertim Urbanus II, de quibus superius dictum est<sup>227</sup>.

Superato errore Cypriani et Firmiliani de invaliditate baptismi extra Ecclesiam collati, probata quoque Augustini doctrina de non-iterabilitate sacramenti istius et Ordinationis, non plane evanuerunt obscuritates quae apud Cyprianum fundabant errores: absentia Spiritus Sancti in coetibus haereticis et, praesertim, privatio communionis cum Ecclesia cui commissae fuerunt a Christo sacramenta. Quae considerationes saepius admittebantur, tam apud Concilia quam apud Sedem Apostolicam, cum adversum iudicium ferebatur de ordinationibus irregularibus.

---

<sup>227</sup> Cf. Periodica, I.c., 427-447; A. SCHEBLER, *Die Reordinationen in der «altkatholischen» Kirche* (Bonn 1936).

Firma quidem erat post saeculum IV in Ecclesia, tam Orientis quam Occidentis, doctrina S. Augustini, iuxta quam proprie dicta iteratio sacramenti ordinis omnino reiciebatur<sup>228</sup>. Ritus ordinationis iterabatur solummodo quando prior collatio eiusdem censebatur invalida ad conficiendum sacramentum. Nihilominus, tum in Ecclesiis particularibus, tum in Curia romana plures re-ordinationes, etiam inito altero millenio, occurrebant erga subiecta quae ordinationem priorem rite factam ab episcopo susceperant; ea, proinde, absolute inexistens iudicabatur.

Observari potest praesertim in remotioribus saeculis diversum criterium in diversis Ecclesiis circa consistentiam ordinum irregularium, ut ii aliquando pro validis clare habeantur, sed in poenam a functionibus sacris suspendantur ordinati et/vel ordinantes, aliquando, autem, ipsius ordinationis valor negetur vel saltem dubius remaneat; immo, etiam progredientibus saeculis, maior vel minor severitas in iudicio dependere apparet ex frequentia abusus maiori vel minori existente, praesertim circa simoniam, et ex consequentiis quas secum traheret declaratio nullitatis ordinationum, in particulari in Oriente.

Nec desunt casus in quibus, in eadem Ecclesia regionali, v. gr. in Gallia relate ad chorepiscopos, quin etiam, in eodem Pontifice, v. gr. Urbano II,

---

<sup>228</sup> «Sicut recedentes, qui prius quam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes qui prius quam recederent ordinati sunt, non utique reordinantur». *Contra donatistas*, 1.1, cap. 1, 2 (PL 43, 109). Similiter Gregorius Magnus ad Ioannem ravenatensem: «Quod dicitis, ut qui ordinati sunt iterum ordinentur, valde ridiculum est; ut enim baptizati semel, iterum baptizari non debent, ita qui consecratus est, in eodem ordine non valet iterum consecrari». PL 77, 585.

diverso lance ponderati et iudicati videantur casus similes; id quod suspicionem movet circa conscientiam quae usque ad saeculum XIII viguerit, et in dies creverit in Ecclesia, de facultate sibi data a Christo decernendi et disponendi de valore ordinationum, saltem conferendarum, secundum exigentias boni communis Ecclesiae.

Labentibus saeculis manifestatur aliquando distinctio inter valorem ordinationis irregularis factae ab episcopo ordinato in Ecclesia, et ordinationis factae ab eo qui fuerit extra eam; itemque ab episcopo catholico ordinante ante et post excommunicationis sanctionem irrogatam, praesertim vero post degradationem seu exaurationem ei inflictam.

Tandem, medio aevo progrediente, in incunabilis alterius millenii, clarius manifestatur conceptio, soboscure iampridem insinuata apud Innocentium I et Leonem Magnum, ordinationis imperfectae et inoperantis, collatae nimirum ex parte quoad formam solam, et egentis, proinde, complemento quoad virtutem operativam, ut functionibus sacris valide exercendis apta seu valida reddatur. Huiusmodi defectus virtutis diversa ratione intelligitur in schola bononiensi saeculi XII, quae exercet aliquam influum etiam saeculis successivis, et in reactione opposita ibidem ab Omnibene et Gandulpho initiata. Sed adversus eam reactionem nova exurgit vel repristinatur theoria de facultate Ecclesiae ad interveniendum in valorem sacramentorum determinandum et regulandum, vel saltem radicaliter ad impediendas ordinationes, incapacitando revera ministrum ad eas conferendas per sententiam supremae Ecclesiae auctoritatis<sup>229</sup>.

---

<sup>229</sup> Cf. C. VOGEL, *Chirotonie et chirothésie. Importance et relativité de l'imposition des mains dans la collation des ordres*, in:

Veritati evidenter non respondet radicale iudicium Rudolphi SOHM, iuxta quem Pontifices catholici veteres, solo excepto Anastasio II, una voce nullas declaraverint ordinationes absque ulla distinctione inter ordinationes illicitas et ordinationes irritas. Huius praxis reordinationis fuisset iuxta eum norma pro admissione ministrorum ex schismate vel ad reconciliationem redeuntium. Interpretatio recentiorum quae irritam ordinationem habent pro mere illicita sed valida, quasi per solam suspensionem latae sententiae privatam ab exercitio *licito*, attribuit Sohm mentalitati interpretativae iuris recentis false applicatae ad ius vetus<sup>230</sup>.

Theoria praeclari in Patrologia periti C. VOGEL, circa applicationem *oeconomiae* ad sanandas ordinationes irregulares quas, sicut Shom, censet invalidas in se, sed sanabiles, videtur consideratione digna. Eam censemus applicationem practicam aliquam habuisse, largiorem quidem in Oriente, sed etiam aliqualem in Ecclesia occidentali, etsi formulatio theoricæ in hac fere defuerit; non tamen cum frequentia ei attributa ab hoc auctore, ut «*quaelibet ordinatio illicita [fuerit] etiam ordinatio irrita (inexistens)*»<sup>231</sup>. Iuxta Vogel *chirotonia* seu impositio manuum, praeter raras exceptiones, nunquam defecit in ordinatione mini-

---

Irénikon 45 (1972) 7-20; 207-209; VAGGAGINI, *Possibilità e limiti del riconoscimento dei ministeri non cattolici*, in: *Studia Anselmiana*, 61 (Roma 1973), 271.

<sup>230</sup> Cf. R. SOHM, *Das alkatholische Kirchenrecht und das Decret Gratians* (Leipzig 1892), pag. 405. 467. 520. 527. In eodem fere sensu C. MIKBT, *Die Publizistik im Zeitalter Gregors VII* (Leipzig 1844) pag. 372-436. Adversus theoriam Sohm, cf. A. SCHEBLER, *Die Reordinationen in der «alkatholischen» Kirche* (Bonn 1936).

<sup>231</sup> C. VOGEL, *O.c.* in nt. 229, pag. 209.

strorum sacrorum tanquam pars essentialis ritus; ei, tamen, ad validam collationem sacramentorum accebat, tanquam essentielle, mandatum seu missio accepta in Ecclesia; unde, extra «contextum ecclesiale», impositio manuum in ordinatione erat inefficax et effectum non obtinebat; immo, ritus prius consideratus validus, annullari poterat<sup>232</sup>. Sed haec thesis, ut dictum est de theoria Sohm, in tanta universalitate certo non cohaerere videtur cum pluribus factis historicis.

J. HERGENRÖTHER, in diversis studiis<sup>233</sup>, manet fidelis suae normae: Conicere oportet praxim Ecclesiae antiquae non opponi praxi odiernae, nisi rationes consistentes aliud suadeant. Hanc autem normam, ut videtur, ultra modum applicare intendit; et quaedam facta historica indubia, satis clare adversantia praxi actuali, apud eum praesentationem coactam obtinere videntur, ut post analysim eorum coniecturaliter possit concludi discordantiam non esse conclusivam.

J. MORIN, in erudito studio super sacris Ecclesiae ordinationibus<sup>234</sup>, supponit et ostendit per septem

---

<sup>232</sup> «Avant le XIIe siècle, la praxis de l'Eglise romaine était que la validité ou mieux, l'existence, la réalité d'une ordination ne dépendait nullement du seul acte sacramentel de la chirotonie, accomplie selon les rites, mais d'un ensemble de conditions juridiques et ecclésiales, soit chez l'évêque qui ordonne soit chez le récipiendaire. Si le contexte juridique et ecclésial où s'exerçait le ministère des clercs majeurs venait à changer, la chirotonie même reconnue valide antérieurement, était annulable, avec un retour effectif de l'ordonné au rang des laïcs». G. VOGEL, *l.c.* in nt. 229, 208-209.

<sup>233</sup> Praesertim *Die Reordinationen der alten Kirche*, in *Vierteljahrschrift f. k. Theologie* 1 (1862) 207-272; 387-456; IDEM, *Photius, Patriarch von Constantinopel* (Regensburg 1867-1869) 3 vol.

<sup>234</sup> *Commentarius de sacris Ecclesiae ordinationibus... in tres partes distinctus* (Anverpiae 1695).

capita factum historicum frequentium ordinationum per plura saecula in Ecclesia de novo iteratarum, quia praecedens ritus retentus fuerit irritus et vacuus quoad effectum. Concludendo censet in illa epocha

*«episcopos episcopis, concilia conciliis collidere... Difficultatem diutissime et diligentissime examinarunt, Concilia coegerunt, virorum doctorum sententiam sciscitati sunt. His tamen omnibus saepius peractis, nihil definitum est. Quin imo, Pontifices inter se commissi, alter alterius ordinationes exauctorarunt et novas superinduxerunt. [Et in incrementum difficultatum, aliquando], tamen, neutra ordinatio erat schismatica, neutra haeretica, neutra a regulis ordinationis ab Ecclesia descriptis deflectebat. Quamobrem, igitur, priore abolita, posterior superaddita est?»<sup>235</sup>*

Recordatus doctrinam de caractere sacramentali in Concilio Tridentino definitive sancitam, cum consequentia per apostolicam traditionem firmata de non iterabilitate sacramenti, putat facta historica non habere satisfactoriam explicationem nisi admissa facultate, a Christo Ecclesiae concessa, disponendi disciplinam sacramentorum praescribendo, ex motivo rationabili, conditiones ad eorum valorem. Statuta distinctione fundamentali observanda inter ea quae in ritu ordinationis sacrae sunt ex iure divino, omni ordini sacro semper et ubique necessaria, velut manus impositio et oratio conveniens, et ea quae mutabiliter ab Ecclesia in ritu complendo superadduntur, addit:

*«Quaedam vero ecclesiasticae ordinationes, quae licet mutari possint, et pro temporum et regionum varietate aliter atque aliter observari, tanti tamen sunt momenti, quamdiu ab Ecclesia revocata non sunt, ut eorum omissio ordinationem reddet non modo inhonestam et illicitam, sed etiam*

<sup>235</sup> O.c., pars III, exercit. V, cap. 8, n. I, pag. 80.

*irritam et nullam omnique effectum et gratia cassam... Illae autem tam spectare possunt ordinantem quam ordinandum... Ecclesia enim, meo iudicio, definire potest quibus conditionibus episcopus auctoritate sua uti debeat, quibusve cum bonis et qualibus ordinandus sese ordinanti sistere ut valide et efficaciter ordinem ab eo recipiat: ita ut, si ordinans aut ordinandus definitionem hanc neglexerint, contraque egerint, actio sit nulla et irrita, atque ut effectus producantur iteranda. Idem de hoc sacramento analogice dicendum quod de matrimonio et poenitentia... Hinc sequitur sacramentorum istorum materias in diversis Ecclesiis posse esse diversas... Hoc dato, quod mihi videtur maxime aequum... nulla difficultas superest in ordinationibus iteratis eorum quos ordinaverant Pontifices, Constantinus, Formosus, Photius, Ebbo et alii. Nam qui iterum ordinabant, aut ordinandos contendebant, iudicabant eos secundum canones non fuisse ordinatos»<sup>236</sup>.*

Inferius scribit:

*Assumunt etiam [Patres] velut notum et confessum, ordinationem contra canones factam, ratam vel irritam ab Ecclesia declarari posse...». Unde «ordinationis validitatem non simpliciter statuunt penes ordinationis naturam, sed ei adiungunt Ecclesiae auctoritatem et prudentiam»<sup>237</sup>.*

Distinctionem adeo frequentem iam a saeculo V inter sacramentum et virtutem sacramenti reassumens, novam considerationem addit ad negandam omnem vel plenam consistentiam ordinationi irregulari non probatae ab Ecclesia, proferendo distinctionem duplicis potestatis, in ordinatione diversa ratione ordinatis collatae: alterius, plenae et quasi in actu secundo paratae ad applicationem; alterius, radicalis, communicatae quidem, sed nondum expeditae ad

<sup>236</sup> *Ibid.*, cap. 9, I.II, pag. 82.

<sup>237</sup> *Ibid.*, cap. 11, I.II, pag. 91.

actionem; ligatae et quasi in actu primo, nondum ad actionem expeditae, complementarium interventum exigentis, sive Summi Pontificis, v. gr. ut simplex sacerdos possit administrare sacramentum confirmationis, sive alicuius Ordinarii, ut sacerdos sine officio ecclesiastico valeat excipere confessiones impertiendo absolutionem. Ad rem ait:

*«In caractere... duo distingui debent, rei substantia et virtus agendi. Character semel impressus, ab Ecclesia non pendet amplius... Sed ipsius virtus Ecclesiae regimini subdita est, ab ea suspenditur, ita ut nihil agat, aut agere possit, quandiu durat suspensio. Ordinare poterit episcopus depositus, hoc est, ceremonias ordinationis omnes exercere, sed nullo cum effectu et fructu... Quod omnes prope theologi de potestate a peccatis absolvendi docent. Illa radicaliter et substantialiter per ordinationem presbytero confertur, nec ab eo potest auferri; usus tamen eius et actio a superioribus pendet, ab iis revocari potest, nihilque revocata in confitente prorsus agit; ei limites figi possunt, quos ultra citraque efficaciter non operabitur»<sup>238</sup>*

Aliud caput invocatum a Morin ad explicationem factorum historicorum fundatur in probabilitate attributa theoriae Sti. Hieronymi, iuxta quam

*«ordo episcopalis nihil addit substantiale et intrinsecum characteri presbyterali... praeter solam divinam deputationem ad omnes ordines conferendos, caeteraque munia pontificalia administranda. [Ex quo] facile intelligitur qua ratione episcopalis potestas possit ab Ecclesia limitari, circumscribi et revocari, non tantum, prout volunt scholastici, ne licite agat, sed etiam ne omnino agat; vel, si contra praescriptum agat, irritus sit effectus. Et si necesse sit effectum illum produci, eadem actio ab alio episcopo legitimo potestatem habente sit iteranda. Est enim omni deputationi et*

---

<sup>238</sup> Ibid., cap. 9, X, pag. 84.

*potestati extrinsecae naturaliter insitum, ut ab eo cui subest, possit hoc vel illo modo concedi vel restringi»<sup>239</sup>.*

Non latet auctorem, et is pro certo habet, quibusdam temporibus, praesertim nascente haeresi, quo via planior ad reditum haereticis sterneretur, quasdam eorum ordinationes Ecclesiam admissee; alias vero ipsorum infirmas et irritas declarasse et iterasse, ut gradum quo apud ipsos gaudebant in Ecclesia catholica recuperarent<sup>240</sup>.

Cui facto explicationem praestare potest id quod dicit inferius de sanatione in radice.

Aliud caput interpretationis petit Morin ex applicatione *oeconomiae*, magis frequenti in Ecclesia Orientali, ut eruit praesertim ex epistola ad Amphilo-  
chium Sti. Basilii, «ut in eius sententia maxime emineat in hisce rebus Ecclesiae auctoritas»<sup>241</sup>. Secundum Basilium virtutem ordinum in haeresi susceptorum, supposita fidelitate circa ritus ordinationis et circa formam sacramenti, Ecclesia

*«non derivat ex irrationali quadam necessitate, quae in omnibus agentibus physicis inest, sed ex prudenti Ecclesiae oeconomia, quae res discordes et aliquando contrarias in idem conspirare et mutuas sibi operas tradere procurat».*

Haec *oeconomiae* applicatio, iuxta Morin, ostendit

*«maximam esse hac in causa Ecclesiae auctoritatem, et uniuscuiusque saeculi traditionem esse sequendam, nec ita praecise unius saeculi traditionem esse consuetudini alterius*

---

<sup>239</sup> *Ibid.* XII, pag. 84-85.

<sup>240</sup> *Ibid.*, cap. 11, IV, pag. 91.

<sup>241</sup> *Ibid.*, cap. 12, II, pag. 92.

*saeculi opponendam; varias etiam esse posse in variis regionibus observationes»<sup>242</sup>.*

Tandem suggerit eruditus auctor applicatam fuisse etiam quandam speciem possibilis sanationis in radice rituum ordinationum fideliter in seipsis perfectorum, etsi invalidorum propter conditionem ministri eos peragentis; quae fuisset forma derivata oeconomiae. Dici potest Stum. Basilium

*«de baptismo et ordinatione philosophari, sicut canonisti et iurisconsulti de nonnullis rescriptis et dispensationibus Pontificum et Caesarum, quorum effectus ad initium actionis retraheri solent, licet rescripta actionem multo tempore sequantur, ut saepissime conspicitur in matrimonio»<sup>243</sup>...*

Ita videtur S. Basilium evidenter id auctoritatis Ecclesiae concedere

*«ut baptismus itemque ordo invalidus et irritus ab ea probari possit et acceptari, eaque acceptione et probatione, velut retrotractione quadam, non modo quoad gratiam, sed etiam quoad characterem, reviviscat et revalescat»<sup>244</sup>.*

Difficultati autem occurrenti, qua ratione explicari possit characteris impressio in subiecto qui ritum sacramentaliter validum non receperit, obviam venit Morin cum hypothesis iam pridem ab aliis theologis, ut Scoto, insinuata, quam ipse favore praesertim Sti. Cypriani, sed et plurium Pontificum, confirmatam censet:

*«Saepe in huiusmodi extremis Ecclesia Deo commendat consilia sua, piumque mihi videtur credere Deum Ecclesiae*

---

<sup>242</sup> *Ibid.*, IV, pag. 93.

<sup>243</sup> *Ibid.*, VI, pag. 93.

<sup>244</sup> *Ibid.*, VII, pag. 93.

*suae faventem et benedicientem aliquando misericorditer sacramentorum efficientiam supplere*»<sup>245</sup>.

L. SALTET, in fundamentali studio circa hoc argumentum, persuasus de veritate immutabilis doctrinae sacramentariae a saeculis sustentatae, tam a theologis quam a canonistis, secundum quam «sacramentum ordinis confert characterem seu potestatem quae non potest unquam ligari usque ad extremum reddendi ipsam practice nullam», eo ipso adversatur theoriae apertae modo relatae; et conatur explicare facta historica ordinationum, ad ritum quod attinet saepe repetitarum in Ecclesia mediaevali, tum propter deformationem doctrinae et errores doctrinales serpentes, etsi non ea amplitudine quam putavit Döllinger; tum propter claudicantes interpretationes doctorum mediaevalium, qui perperam intellexerint formulas haud sane perspicuas plurium Conciliorum et Pontificum; tum propter insufficientem formationem et propter defectum necessariae distinctionis circa evolutionem traditionis, fundamentaliter immutatae, in

---

<sup>245</sup> *Ibid.*, VIII, pag. 94. C. BAISI fundamentaliter consentit cum Morin. Putat in omnibus sacramentis, baptismo et Eucharistia exceptis, involvi exercitium iurisdictionis, quam Ecclesia potest circa subditos denegare, ita ut administratio sacramentalis irregulariter intentata reddatur invalida per illam interdictionem. Per aliquod saecula Ecclesia invalidas aestimavit ordinationes rite collatas ab episcopis quibusdam criminibus irretitis. Cum Ecclesia in potestatem ordinis nullam possideat auctoritatem, factum nequit explicari nisi aut per errorem Ecclesiae aut per denegationem potestatis iurisdictionis requisitae ad validitatem sacramenti... Evidenter alteri solutioni est adhaerendum; error namque Ecclesiae in re tam gravi, tam lata, tam proluxa, eius infallibilitati directe contradiceret. *Il ministro straordinario degli Ordini sacramentali* (Roma 1935). Consentit substantialiter etiam Vaggagini, cit. nt. 229.

ordine ad praxim tutam in disciplina variabili protegendam; tum propter sententiam multorum, quam ipse retinet erratam, de facultate Ecclesiae a Christo concessa, efficaciter ligandi ministris potestatem ordinandi, sive ipso facto ex quo versarentur extra Ecclesiam, sive in poenam propter delicta, eos depnendo aut degradando, ut nequirent amplius quid valide agere in conferendis ordinationibus sacramentalibus<sup>246</sup>.

Recte quidem observatur Ecclesiam non esse immunem ab influxu factorum humanorum quae mentes et animos perperam afficiunt. Et sane talis influxus clare apparet, v. gr. in remissione vel intensificatione sententiae, et consequenter praxis, circa simoniam aut haeresim, secundum minorem vel maiorem pressionem et urgentiam factorum vel ardorem scriptorum, ut videre est saeculis VIII-XI in agitationibus politicis circa electionem Pontificum, et saeculo XI circa diffusionem simoniae. Differentiae quoque attenduntur inter Ecclesiam Orientis, propensiores ad iterationem ritus sacramentalis ordinis propter necessitatem eum intra Ecclesiam Christi administrandi, et Ecclesiam Occidentis, firmiter resistentem iterabilitati ipsius ritus propter characterem definitive impressum, et quia separatio ab Ecclesia propter haeresim et schisma non tam absoluta considerabatur.

Agnoscendum est explicationes a Saltet prolatas circa errores doctrinales in Ecclesia manifestatos, doctrinam sacramentalem afficientes per plura saecu-

---

<sup>246</sup> *Les réordinations. Etude sur le sacrement de l'Ordre.* (Paris 1907), 392ss. Cum eo sentiunt praedecessores Many et Chardon; aequales Tixeront, Michel, Lercher, Amann, Oppenheim, alii, secundum Doronzo, *De ordine*, III, pg. 360.

la, continere validas considerationes quae illos errores in recta aestimatione realitatis collocant, utique eorum extensionem et durationem plus aequo disimulando. Attamen, etsi cum eo concedendum sit illos nullatenus in periculum vocare magisterium infallibile, deficiunt enim conditiones ad magisterium ex cathedra aut ab universali Collegio propositum, et ad universalem communitatis fidelium consensum diuturnum, nihilominus non possunt parvi penderi manifestationes et acta non paucorum ministrorum Hierarchiae, et maioris numeri theologorum et canonistarum in quadam periodo satis longa historiae, qui opinionem doctrinae theologorum hodiernae contrariam sustinuerunt. Quod videtur creare veram difficultatem contra firmitatem absolutam thesis a Saltet et fere omnibus usque ad ultimum ventennium scriptoribus sustentatae, de absoluta impossibilitate invalidandi a limine ordines a ministro consecrato irregulariter intentatas et materialiter peractas.

Nec praeteriri possunt expressiones in conciliis particularibus magna varietate occurrentes, quae revelant doctrinae incertitudinem in medio aevo; dum alii meram illiciteam ordinationis clare sustinebant, alii obscuram mentem exprimebant, alii apertius indicabant invaliditatem ordinationum de quibus sententiam ferebant, moventes dubium circa necessitatem de novo conferendi ritum ordinantem.

Haec omnia satis ostendunt doctrinam mediaevalem de ordine subiisse lentum processum, non tantum elaborationis et clarificationis, sed etiam rectificationis; conscientiamque Ecclesiae circa possibilitatem interveniendi ad determinandum valorem effectivum ritus ordinationis nunquam fuisse definitive negatam, sed potius opinionem ei faventem aut incertitudinem diuturna persuasionem fuisse confirmatam, etsi fere

repente ventum fuerit, inde a saeculo XIII, cum doctrina fixata de materia et forma sacramentorum, ad persuasionem de non-exsistentia talis possibilitatis. Remanserunt indicia quae permittunt suspicari talem persuasionem sine sufficienti fundamento formatam fuisse in elaboratione nimis lineari doctrinae de elementis essentialibus sacramentorum et de intentione ministri subtracta omni interventui incapacitanti ex parte auctoritatis supremae Ecclesiae.

E. DORONZO iure resistit facili admissioni obscurae doctrinae catholicae per plura saecula deformationibus deturpatae, etsi agatur de practicis decisionibus, in quibus tamen aliqua ratione doctrina non potest non esse implicata<sup>247</sup>. Sed pariter adversatur opinioni suggerenti potestatem Ecclesiae ad ligandum validum exercitium potestatis ordinis, propterea quod «a theologis praecipue modernis communiter reicitur»; temere, et ut nobis videtur contradicens historiae, affirmat nullum haberi «argumentum aut signum quod ostendat antiquos canones, regulantes collationem ordinum, respexisse condiciones non solum legitimitatis sed etiam validitatis»<sup>248</sup>.

Sed in fine finali, sicut ceteroquin plures alii qui quaestionem attentius examinabant ultimo tempore (Jugie, Pourrat, Michel, Tixeront, Journet, Solá, ipse quoque fatetur quod «in omnibus praefatis solutionibus aliquod continetur veritatis elementum, quod inservire potest uno vel alio modo ad integrandam veram et adaequatam, si quae sperari queat, huius problematis solutionem, si tamen ab omni exaggerata aut exclusiva ratione secernatur»<sup>249</sup>.

---

<sup>247</sup> *De Ordine*, III, Milwaukee 1962, 359 ss.

<sup>248</sup> *O.c.*, 360.

<sup>249</sup> *Ibid.*

Et quaerendo fortasse fulcimen timidae et minus felici insinuationi, in memoriam revocat opinionem «tum de humana origine distinctionis episcopatus a presbyteratu..., tum de non sacramentalitate ordinis episcopalis, vel saltem de absentia characteris in hoc ordine», fortasse ut hac via perveniri possit ad agnoscendam Ecclesiae facultatem invalidandi ritum ordinationis irregulariter peractum, propter defectum iurisdictionis ad agendum. «Et hoc sensu, ait, aliquid concedimus Baisi», postquam similem sententiam, a Journet insinuatam, et ipse approbat<sup>250</sup>.

Ad canonistas quod attinet, doctrina theologorum a saeculo XIII et inde immutata et fere pro immutabili considerata, eos quoque adduxit ad unitatem, quae sic apparebat expressa a GIBALINI medio saeculo XVII, servatis quidem expressionibus veterum canonistarum, agendo de irregularitatibus afficientibus ordinatos ab episcopo censurato, quibus ipse auctor executionem suscepti ordinis negat:

*«Probatur quoque assertio ex universali regula iam indicata, nimirum Ecclesiam, quoties prohibuerit alicui liberam collationem ordinum, noluisse, ut is cui contra suam prohibitionem conferrentur, eorum liberum exercitium reciperet, absque sua dispensatione... Quodsi ignorantia excusetur a culpa, in poenam tamen et ignominiam ordinatis, non patitur Ecclesia eiusmodi sacrilegam ordinationem valere quoad usum quem unum Ecclesia potest tollere, impressum enim characterem et ordinem collatum delere nequit... Quia nemo dat quod non habet; cum, igitur, hic episcopus censura innodatus... aut degradatus et depositus, retineat quidem characterem et potestatem conferendi valide ordines, eos quoque reipsa confert, sicut et cetera sacramenta conficit, modo omnia substantialia adhibeat: at vero, caret execu-*

---

<sup>250</sup> Ibid., 367.

*tionem sive exercitio sui characteris et potestatis episcopalis, ordinis usum et executionem minime conferet, atque eo sensu saepius Pontifices edi erunt illas ordinationes habendas esse irritas, nimirum quoad usum»<sup>251</sup>.*

Recentiori tempore insignes duo canonistae hanc quaestionem expressius tractabant. Eorum primus, P. GASPARRI, procedebat innixus in traditionali doctrina ultimorum saeculorum, quam putabat intangibilem «saltem in praesenti Ecclesiae disciplina».

*«Nunc iam a pluribus saeculis sola viget Sti. Thomae doctrina..., cui accessit Ecclesiae suffragium; ordinationes nempe ab haeticis, schismaticis, excommunicatis, simoniacis, intrusis etc. factas, saltem in praesenti Ecclesiae disciplina, validas omnino esse habendas ob rationem supra allatam [invocat praesertim can. 7 sess. XXIII Concilii tridentini], ...ita ut in praesenti disciplina non liceat catholico de huius ordinationis validitate dubitare»<sup>252</sup>.*

Nimia simplicitate, quam alii imitantur, expedit difficultatem historicam, post prudentem observationem quae alios fugit. Ait ad rem:

*«Diximus in praesenti Ecclesiae disciplina. Nam sciendum est veteres canones ac nonnullos Patres ordinationes huiusmodi appellare irritas, vacuas, vanas, nullius effectus; et aliquando praecipere etiam ut huiusmodi ordinationes repetantur, addentes rationem, quia scilicet haeretici et impii non habent quod conferant. Quaestio igitur est inter eruditos num antiquitus huiusmodi ordinationes habitae fuerint tanquam nullae»<sup>253</sup>.*

<sup>251</sup> I. GIBALINI, *De irregularitatibus et impedimentis canonicis, sacrorum ordinum susceptionem et usum prohibentibus*. Cap. 5, dub. IV (Lugduni 1652) pag. 320.

<sup>252</sup> *Tractatus canonicus de sacra ordinatione*. Vol. II, cap. V, sect. I, art. 1, n. 755 (Paris 1894) pag. 70. Certe in praesenti disciplina nequit dubitari; sed inde non sequitur disciplinam esse immutabilem.

<sup>253</sup> *Ibid.*, n. 776, pag. 70.

Post hanc observationem proprium iudicium indubius exprimit:

*«Nos cum sententia passim recepta putamus has ordinationes semper fuisse habitas tanquam validas per se; et illas expressiones significare ordinatum ab illis episcopis non obtinere licitum exercitium ordinis recepti, seu esse ipso iure suspensum a recepto ordine... Juxta haec nos facile explicamus id quod legimus in historia ecclesiastica, nempe episcopos haereticos... conversos ad Ecclesiam catholicam, aut ad meliorem frugem redeunt, aliquando, servatis servandis, admissos fuisse ad exercitium receptorum ordinum absque reordinatione, quia scilicet nullum erat dubium de ordinationis validitate; aliquando vero fuisse rursus ordinatos absolute vel sub conditione, quia aliquod essentielle elementum eorum ordinationi certe vel probabiliter defuit»<sup>254</sup>.*

Attamen possibilitatem quandam in ordine theotico sinit contrariae sententiae, non solum propter clausulam «in praesenti Ecclesiae disciplina» expresse ab eo illustratam, sed etiam quia memoratur principii a Morin sustentati. «Nonnulli, etiam inter catholicos, censent ordinationes de quibus agimus, fuisse, saltem aliquibus locis revera nullas», quia Ecclesia possit definire condiciones ut valide et efficaciter ordines conferantur et recipiantur.

*«Hinc cum Ecclesia, iuxta eosdem auctores, in nonnullis locis statuerit, sub poena nullitatis, ordinantem habere debere fidem ac probitatem, sequitur ordinationes in illis locis factas a ministro haeretico, schismatico, impio, fuisse nullas et ideo iterandas, non simpliciter quia minister erat haeticus, schismaticus, impius, sed quia Ecclesia illam definitionem inibi tulerat. Huic doctrinae nos non subscribimus...»<sup>255</sup>.*

<sup>254</sup> Ibid., nn. 777. 778, pag. 70. 71.

<sup>255</sup> Ibid., n. 779, pag. 772-773. Revera motiva talis praxis alia quoque fuerant.

F.X. WERNZ, qui difficultates ex historia provenientes attentius consideravit et iteras reordinationes inter saeculum VI-XII evenisse agnoscit<sup>256</sup>, mentem propriam sic aperit, concinendo cum Gasparri:

«*Secundum doctrinam catholicam per se omnis episcopus vere consecratus ordines valide confert, dummodo servet substantiales ritus et habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia... Nullitas canonica ordinationis, id est, in ordine ad certos effectus iuridicos non est confundenda cum nullitate sacramentali ordinationis, quemadmodum ritus reconciliationis distinguendus est a vera reordinatione*»<sup>257</sup>.

Negat ipse quoque solidum fundamentum theoriis a Morino et Sbaralea sustentatis, quarum prima tribuit Ecclesiae potestatem quandam «*iure suo*» definiendi condiciones requisitas ad *validam* susceptionem etiam ordinum hierarchicorum secundum analogiam sacramenti poenitentiae et matrimonii»; altera censet «potestatem ordinis etiam in viatoribus ita posse separari a caractere, ut episcopus retineat quidem characterem in consecratione impressum, sed amittat facultatem valide conferendi ordines»<sup>258</sup>.

Stimulatus assertionibus Concili Vaticani II circa originem potestatis sacrae in ordinatione communicatae, investigavit A. ZIRKEL mentem Gratiani super valorem ab illo attributum ritui sacramentali peracto ab episcopo, extra communionem Ecclesiae versante. Et post profundam analysim plurium locorum secundae partis Decreti, pro valore et contra valorem talium ordinationum argumenta et sententias exprimentium, perveniebat ad conclusionem a nobis iam

<sup>256</sup> *Ius Decretalium*, tom. II, pars prima (Romae 1906) n. 26, IV, pag. 51-55.

<sup>257</sup> *Ibid.*, pag. 51 nota.

<sup>258</sup> *Ibid.*

indicatam, de positione ancipiti, immo, contradictionibus implicata magistri bononiensis.

Pro parte sua Zirkel, considerans doctrinam Constitutionis *Lumen gentium*, iam ab initio suae investigationis posuerat quaestionem num episcopus possit valide exercere munus sanctificandi, hoc est, administrandi (praeter paenitentiam) reliqua sacramenta, quando non iam potest exercere valide munus gubernandi, privatus communione hierarchica, etsi retineat potestatem receptam per sacramentum ordinationis. Cui quaestioni respondebat, ad terminum suae investigationis:

*«Ad exercendam potestatem in ordinatione receptam, minister eget adhuc alia potestate, per cuius concessionem vel denegationem (vel retractionem) hoc exercitium coniungitur cum Ecclesiae communitate. Ea potestate indiget in omni casu ad licitum exercitium; sed etiam ad validum, si Ecclesia sic determinat»*<sup>259</sup>

Exclusus a communione Ecclesiae retinet quidem consecrationem receptam, sed caret «executione potestatis» secundum expressionem Gratiani, seu exactius secundum Zirkel, caret «potestate executionis» valide sacramentorum, excepto baptismo.

<sup>259</sup> *Executio potestatis. Zur Lehre Gratians von der geistlichen Gewalt.* St. Ottilien 1975, cf. pag. 2, 189-200. Zirkel refert undecim auctores huius saeculi qui manifesto admittunt probabilitatem sententiae asserentis valorem sacramentorum a ministris ordinatis collatorum dependere a determinatione Ecclesiae. Inter eos, praeter Navarrete et Beyer, qui post eum scribebant, refert Bertrams et Robleda. Sed praesertim Schillebeeckx pro hac sententia in epistola ad auctorem. Mentem illius formula canonistica sic exprimebat C.E. O'Neill: «Die Kirche ist der Grund der sieben Sakramente, und die Frage nach der Gültigkeit eines Sakramentes wird daher beantwortet, ob es eine Handlung der Kirche ist oder nicht» (pag. 189).

In hac varietate opinionum quae intendunt explicare obscuram historiam mediaevalem disciplinae observatae circa ordines collatos extra communionem Ecclesiae, existimo non posse probari simpliciorum explicationem ultimis saeculis sustentatam, quam substantiali fidelitate referebat superius praeclarissimus canonista Petrus Gasparri, excludendo quasi a priori dubium super possibilitatem doctrinae diversae ab ea firmata inde a saeculo XIII circa requisita ad valorem ordinum.

Tempus est, igitur, pandendi et argumentis firmandi opinionem quae a sententia fere communi discedit, a pluribus, tamen, nunc favore prosecutam, praesentando considerationes quae eam saltem verisimilem et profundius perpendendam faciunt.

a) *Historia ecclesiastica et magisterium*: Negari ex una parte non potest per plura saecula, satis generaliter in Oriente, longioribus epochis et per regiones in Occidente, iteratum fuisse ritum ordinationis erga personas quae prius eundem susceperant cum intentione accedendi ad ordinem sacrum, quem et ipse minister, ordine episcopali insignitus, conficere intendebat et iuxta normas liturgicas sacramenti materiam et formam rite exequabatur. Accedit quod interdum unus idemque minister, etiam in supremo gradu Hierarchicae constitutus, aliquando unam, aliquando aliam diversam normam applicabat, sive ad ordinationem de novo conficiendam, sive saltem ad eam, quasi incompletam, perficiendam. Firma, autem, erat doctrina quod sacramentum semel valide collatum iterari non poterat<sup>260</sup>.

---

<sup>260</sup> Cf. Ch. JOURNET, *Vues récentes sur le sacrement de l'ordre*, in: *Revue thomiste* 53 (1953) 97-98.

Pariter explicari nequeunt facta in diversis circumstantiis personarum et situationum Ecclesiae occurrentia, supponendo ministros irregulares, in odium catholicae Ecclesiae, voluntate praevalenti, voluisse facere quid diversum ab eo quod facit Ecclesia catholica. Is fortasse potuerit esse casus particularis unius vel alterius in singularibus momentis acrioris aversionis aut contentionis; sed certo non potest respondere veritati in plerisque casibus ordinationum, praesertim simoniacarum.

Etsi grave problema de ipsa infallibilitate magisterii ex hoc non exurgat, quia nulla ex resolutionibus aut declarationibus pontificiis vel conciliaribus lata est cum requisitis ad solemnem proclamationem doctrinae, attamen negari non potest seriam difficultatem adversus assistentiam Spiritus Sancti Hierarchiae Ecclesiae promissam obici posse, nisi fundamentum veritatis tribuatur thesi de facultate concessa supremae potestati Ecclesiae ad invalidandos ordines irregulares ab episcopis extra communionem hierarchicam collatos, si et quatenus competens auctoritas Ecclesiae, per positivum actum voluntatis, facultatem negaverit ministris. Sane, persistentes errores doctrinales et gravissimae violationes disciplinae sacramentalis, cum funestissimis sequelis, nequeunt diutius et amplissima extensione geographica dari in Ecclesia, quin valde serio periclitetur veritas illius assistentiae promissae Hierarchis, ne in errores perniciosos vel in graves aberrationes ordinis sacramentalis incidant, cum sibi commendatam habeant et veritatem doctrinae et sanctitatem morum.

Hinc verisimile videtur concessam fuisse auctoritati Ecclesiae supremae, et dependenter ab ea consentiente episcopis, saltem in coetu regionali adunatis, facultas moderandi administrationem sacramenti or-

dinis secundum exigentias boni communis Ecclesiae, sublata quoque agendi facultate iis ministris quorum ministerium noceret bono publico communitatis christianae. Talis, tamen, facultas non excludit absolute aliquos eorum potuisse abuti aliquando in damnum transitorium Ecclesiae, prout v. gr. Stephanus VI et Sergius III in luctuoso casu Formosi. Spiritus Sancti promissio afficit directe et semper custodiam veritatis necessariae in docendo, non sic sanctitatem in vivendo et agendo.

Haec fuit ratio quae movit praeclaros auctoritate et scientia viros saeculorum XII-XIII ad sustentandam thesim hic propositam. Recordemur in particulari, e pluribus (Bertoldo, Bruno Signiensi, Rolando, Stephano Tornacensi, Sinibaldo Flisco, Coluccio) iam memoratis, Hugonem Ambiensem:

*«Si quilibet in sacramentis ministrare posset, si bene consideres, status omnis Ecclesiae deperiret. Quid namque clavis Ecclesiae ageret, si in sacramentis unusquisque prout vellet agere posset?»<sup>261</sup>*

Et pro parte sua G. Alvernensis:

*«Quomodo deesset divina virtus Ecclesiae in isto ministerio auferendi ordines, quod tam salubre tamque necessarium est ad iustitiam exercendam contra execrabiles eorumdem praesumptores et contaminatores?»<sup>262</sup>.*

<sup>261</sup> Cit. in E. MARTÈNE et M. DURAND, *Thesaurus novus anecdotarum*, t. V, col. 958 (Paris 1717).

<sup>262</sup> *De Sacramento ordinis cap. 7*, in: opera omnia (Paris 1674 I, pag. 540). Guglielmus est unus e magistris parisiensibus qui censent haberi in Ecclesia facultatem exauctorandi indignos ministros, auferendo ab eis ipsos ordines; unde et reordinandi essent si readmittendi fuerint ad ministerium: «non solum verisimile, sed etiam necesse est Ecclesiae intensionem, omnipotentiae divinae virtute, quae ministerio Ecclesiae semper assistit et per ipsum

b) *Potestas societatis perfectae*. Tritum axioma doctrinae ethicae, confirmatum in theologia morali, illud est iuxta quod Dei providentia munit personas, tam iuridicas quam physicas, facultatibus necessariis. Hinc concludit scientia moralis ius, v. gr. expropriationis privatorum, assistere supremae auctoritati rei publicae secundum exigentias boni communis, debita quidem damnorum compensatione, non obstante principio de iure naturali protegente proprietatem privatam.

Ratio invocatur plane convincens: is qui debet providere stricta obligatione alicui negotio, non potest non esse donatus omnibus mediis necessariis ad eam provisionem; in exemplo adducto, propter exigentias boni publici communis, cuius est gestor, Status civilis debet habere facultatem (altum dominium) circa proprietatem privatorum, in quantum requiratur functio eius primaria serviendi societati humanae.

Similiter dicendum de Ecclesia. Etsi nunc rarius fiat de ea sermo tanquam de societate perfecta in quadam similitudine cum Statu civili, ad rem quod attinet ei nequit negari talis conditio inter homines; et declarata est societas «genere et iure perfecta, cum adiumenta ad incolumitatem actionemque suam necessaria, voluntate beneficioque Conditoris sui, omnia in se et per se ipsa possideat»<sup>263</sup>. Iam vero,

---

operatur, impleri». *Ibid.* A fortiori potest Ecclesia invalidare ordinum collationem irregulariter attentatam. Cf. F. KOBLEK, *Die Deposition und Degradation* (Tubinga 1867).

<sup>263</sup> LEO XIII, Encyclica *Immortale Dei*, 1, XI, 1885, cf. DS 3166. Paulus VI alloquens ad membra et consultores pro revisione CIC, quin expressionem societatis perfectae attribuerit Ecclesiae, clare asseruit eam esse Societatem visibilem donatam omnibus institutionibus necessariis ad regimen externum, ob concessam a Christo apostolis eorumque successoribus potestatem iurisdictio-

Ecclesia cui commendata fuit a Christo oeconomia vitae sacramentariae, ut sit oeconomia et regulatrix sacramentorum et quasi proto-sacramentum, videtur non posse esse non donata necessaria facultate ad regulandum, rationabiliter et sine detrimento gravissimo boni populi Dei, exercitium actionis sacramentalis; et quidem, in particulari, Ordinis sacri conferendi, quippe quod tanti est momenti pro vita et disciplina societatis ecclesiasticae. Unde coniciendum videtur eam posse inducere condiciones invalidantes et impedimenta efficaci exercitio ordinationum conferendarum.

c)  *Applicatio oeconomiae*. Ad hanc rationem cogitandi accedit ea, quam in Oriente, ut dicebamus, abunde applicatam supposebat S. Basilus, *oeconomia*<sup>264</sup> quae adhuc viget in Ecclesia orthodoxa<sup>265</sup>,

---

nis, quam in eadem allocutione contraponebat potestati ordinis, utramque tamen derivando a Christo. Cf. AAS 60 (1968) 339. In Concilio Vaticano II nomen Societatis raro applicatur Ecclesiae, cum eius indoles sit omnino singularis, «coetus adspectabilis et communitas spiritualis, Ecclesia terrestris et Ecclesia caelestibus donis ditata» (LG 8a). Sed hoc ipso in loco expresse dicitur societas, itemque in LG 20a et PO c.

<sup>264</sup> Cf. *Epistola canonica ad Amphiloichium*, in: PG 32, 715-732.

<sup>265</sup> Conferentia panorthodoxa celebrata in Moscou a. 1948 consideravit possibilitatem admittendi ordines anglicanos, praesupposita, ut videtur, executione materiali sufficienti in se ritus sacramentalis, et absolute requisita unitate fidei et confessionis orthodoxae. «Nous statuons que la hiérarchie anglicane contemporaine pourrait obtenir de l'Eglise Orthodoxe la reconnaissance de la validité de son sacerdoce si, entre les Eglises Orthodoxe et Anglicane était préalablement établie et expressément formulée (comme il est dit plus haut) l'unité de foi et de confession. A l'instauration de cette unité tant désirée, la reconnaissance de la validité des ordinations anglicanes pourra être réalisée selon le principe de l'Economie par la décision pouvant seule avoir de

nec plane fuisse videtur ignorata et exclusa aliquoties in Ecclesia Occidentali<sup>266</sup>. Eam describit Vaggagini tanquam modum agendi auctoritatis competentis, regulariter benevolens, quem in certis adiunctis et ex motivis pastoralibus assumunt exceptionaliter erga situationem creatam ministri ordinati, in relatione ad sacramentum ordinis eiusque exercitium diversum ab eo quem per se requireret in iisdem casibus praecisa observantia normae<sup>267</sup>. Magis generaliter, procedit ex misericordiosa comprehensione fragilitatis humanae, tendens ad convalidanda acta imperfecta et insufficientia, complendo quod deficiebat ad eorum acceptionem, dummodo contineant elementa necessario requisita ad eam convalidationem.

Praesupponitur quaedam realitas et consistentia substantialis in ritu ipso sacramentali, praevis modo irregulari peracto, qualis censi potest v. gr. ritus anglicanus in quo, praescindendo ab aliis quae saltem initio secessionis deerant et subsanata sint, ut intentio differendi ab Ecclesia Romana, deficit saltem forma regularis probata ab Ecclesia catholica, etsi absolute videtur in se sufficiens reformata illa quae nunc habetur, ut convalidari possit. Vitium, igitur, quod interea implicat nullitatem effectus sacramentalis, sanabile possit esse ex hac parte per potestatem Ecclesiae, quia elementa signi sacramentalis obiective et

---

l'autorité pour nous». Cf. Y. CONGAR, *L'économie dans la tradition latine*, in *Irenikon* 45 (1972) 185; A. WENGER, *L'Eglise orthodoxe et les ordinations anglicanes*, in: *Nouvelle revue théologique* 76 (1954) 51-55.

<sup>266</sup> Innocentius I applicaverit principium oeconomiae in admittendis clericis arrianis, itemque Leo Magnus in recipiendis pelagianis, novatianis et donatistis. Sic C. VOGEL, *Chirotonie et chirothésie*, in: *Irenikon* 45 (1972) 218 et 219 nota 2.

<sup>267</sup> Cf. o.c., in nt. 229, pg. 269.

materialiter recta et in se sufficienti ratione peracta fuerint<sup>268</sup>.

Nostrae quidem mentalitati, assuefactae doctrinae per septem saecula indissolubae et ab aliis ad alios universaliter transmissae, praesertim postquam traditio de charactere sancita fuit in Conciliis Florentino et Tridentino<sup>269</sup>, quod positis materia et forma praescriptis a ministro ordinato erga subiectum capax, cum requisita ex parte utriusque intentione, sacramentum necessario perficitur, difficultatem creat quaelibet opinio cum hac conceptione non congruens. Sed hodierna notitia eventuum historicum doctrinam eam traditionalem minus firmam indicare videtur<sup>270</sup>. Nam facta ostendunt, secundum Y. Congar et alios, diverso modo casus similes fuisse consideratos secundum temporum et locorum adiuncta, intra certos quidem limites. Criteria firmiora considerabantur necessitas et utilitas, quae prae oculis habebant servitium boni communis, et includebant bonum spirituale personarum. Brevi praecidendo: in evaluandis ordinibus relatio ad Ecclesiam eo magis intercedebat, quod categoria «ratum», ultra validitatem, includebat agnitio muneris ministerialis. Sub hac consideratione frequenter applicata fuit regula benevolentis indulgentiae erga perperam operata. Nunquam vero dispensatio tentata videtur circa ipsum ritum ordinationis

---

<sup>268</sup> Cf. *DS* 3315-3319.

<sup>269</sup> Cf. *DS* 1313. 1601.

<sup>270</sup> «L'odierna conoscenza delle vicende storiche della vita sacramentale della Chiesa dimostra senza dubbio che l'estensione dello ius ecclesiasticum in questo campo è molto più larga, e tocca punti assai più centrali di quanto aveva creduto la teologia anteriore, specialmente scolastica e postridentina manualistica fino a tempi recenti» *O.c.* in nt. 229, pag. 281.

sacramentalis, seu, ut mentem eius interpretemur, ritum essentialem ordinationis<sup>271</sup>.

Iuxta plures hodie scriptores principium oeconomiae in maxima eius applicatione ducit ad theologiam de Ecclesia sacramento originario (Ur-sakrament) seu fontali, in quo melius intelligitur ipsa Ecclesia interveniens in realitatem vitae sacramentalis, conditione-sque determinans celebrationis sacramentorum, quin tamen potestate creativa utatur erga ea<sup>272</sup>.

d) *Analogia cum doctrina de reviviscentia et de sanatione matrimonii in radice*. Theoria oeconomiae relationem quamdam habere videtur, tam cum doctrina de reviviscentia sacramentorum, quam cum potestate ab Ecclesia vindicata et applicata ad sananda matrimonia invalida.

Profecto, secundum doctrinam in theologia certam, quando subiectum recipiens sacramentum obicem ponit effectui sacramentali propter indispositionem animae, gratiam eo momento non accipit; sed, si deinde tollat impedimentum, ritus sacramentalis vali-

---

<sup>271</sup> Y. CONGAR, *o.c.* in nt. 264, pag. 184-185. Ivi refertur sententia professoris Ch-J.N. Bailey, iuxta quem theologia orthodoxa distinguit inter authenticitatem et validitatem actionis sacramentalis: illa efficitur intra limites unius fontis gratiae, qui est unica Ecclesia Christi; dum pro aliis authenticitas stricta comportat validitatem sacramenti secundum *acribiam*; potentialitas, autem, sanabilis comportat validitatem sanata per *oeconomiam*. Ibid. 184, nota 1. Conceptus isti in memoriam revocant distinctiones latinas inter formam et virtutem sacramenti, ordinationem irritam quoad veritatem vel quoad officii executionem, ordinem et executionem ordinis etc.

<sup>272</sup> C. VAGGAGINI, *o.c.* in nt. 229, pag. 318 attribuit Ecclesiae «potestatem — et, in quibusdam casibus, officium pastorale — regulandi exercitium ordinis, etiam per condiciones invalidantes et non obstante caractere».

de olim susceptus quasi reviviscit saltem in plerisque sacramentis, ut nunc producat effectum gratiae cui destinatus erat producendae ex opere operato.

Igitur, agnoscit doctrina catholica dari validum sacramentum, sine effectu cui est destinatus; et agnoscimus effectum posse produci cum ritus sacramentalis non amplius in se exsistit, sed solum in virtute ut effectum producat. Quidni, analogice, idem evenire non possit cum ritu sacramentali rite posito a ministro extra communionem Ecclesiae, qui rem operetur sed non virtutem, ut tot dixerunt canonistae, simulque conservet capacitatem obtinendi efficaciam ut, remoto impedimento disposito ab Ecclesia in exercitio suae missionis tutelandi administrationem convenientem sacramentorum, illam obtineat efficaciam?

Similiter Romani Pontifices multoties sanaverunt in radice matrimonia baptizatorum cum consensu quidem partium naturaliter sufficienti, sed invalide celebrata propter impedimentum quod obstabat existentiae vinculi coniugalis ineundi coram Ecclesia, ut dispensato impedimento ecclesiastico, vel cessante impedimento quodcumque fuerit etiam iuris divini, matrimonium eousque irritum inciperet esse validum et reale a momento concessionis gratiae et praestiti consensus matrimonialis a partibus, si forte hic ab initio defecerit aut postea fuerit revocatus<sup>273</sup>.

---

<sup>273</sup> Sergius, Patriarca moscovita, a. 1935 carpebat conceptionem ab ipso attributam Ecclesiae catholicae quod ministros sacros consideret charismate ordinationis sacramentalis *in quantum personas* ornatos, ut valide exercere possint ordines etiam independentes a voluntate hierarchiae et contra huius vetitum; dum in orthodoxia ordinationes conferuntur subiectis in quantum *ministris Ecclesiae*, ab ea potius charisma sacerdotale, et incapacibus ministerialiter agendi extra illius communionem. Cit. apud E.

Cur, igitur, ex analogia non possit, immo et debeat, applicari ad ordines invalidos utrumque hoc institutum ecclesiasticum, si hac via explicationem rationabilem obtineant facta historica probata, et secus incomprehensibilem praesentent abusum, v. gr. Ioannes VIII in acceptatione ordinationis Phocii et reiectione similis ordinationis Iosephi Vercellensis-Astensis; aut Urbani II, alios haereticos admittentis in gradus hierarchiae correspondentes ritui ordinationis suscepti, alios in simili conditione completivae ordinationi subicientis?<sup>274</sup>.

e) *Ex defectu potestatis iurisdictionis quae concurrat cum potestate ordinis sacri* ad complendam facultatem requisitam in ministro ad conficiendum sacramentum. Usque ad saeculum X apparent quidem vestigia, sed vix expressa distinctio et theórica enucleatio differentiae inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis concurrentes in functionibus ministrorum sacrorum, etiam in illis pastoralibus in quibus certissime ad potestatem ordinis accedit potestas iurisdictionis, v. gr. pro absolutione a peccatis<sup>275</sup>.

Officium regendi ac doctrinae tradendae, et missio sanctificandi, quae sunt munera in ordinatione sacramentali collata, non apparent res in se plane distinctae, eoque minus separabiles in expositionibus; sed aliqua differentia inter eas viget, imprimis in Romano Pontifice per relationem ad alios episcopos, et quodammodo etiam in metropolitanis per relatio-

---

PLAZINSKI, *Mit Krummstab und Mitra* (Düsseldorf 1970) pag. 229-232. Cf. *Irenikon* 45 (1972) 236-237.

<sup>274</sup> Cf. *Periodica* 77 (1980) 425-458.

<sup>275</sup> Cf. A.M. STICKLER, *Zur Kirchengewalt in den Glossen*, in: *Divinitas* 11 (1967) 461-462. U. NAVARRETE, *Potestas vicaria Ecclesiae...*, in: *Periodica* 60 (1971) 473-474.

nem ad suos suffraganeos. In officio commisso, non in ordine suscepto, fundatur validitas ministerii regiminis exerciti, dum munus mere sanctificatorium, quale exerceretur in celebratione Eucharistiae, a multis mediaevalibus agnoscitur episcopis excommunicatis, paucis dubitantibus vel negantibus, qui tamen firmiter sustinent invaliditatem aliorum sacramentorum<sup>276</sup>. Ex officio et cum officio adquirebatur, secundum eorum mentem, subiectis sacris potestas regiminis; sine officio autem accepto a legitima auctoritate ecclesiastica, ea aberat.

A saeculo XI distinctio progrediebatur, quando concurrentia validitatis exercitii cum efficacitate potestatis in dubium vocantur praesertim in ordinationibus irregularibus. Cardinalis Umbertus negabat valorem sacramentalem ordinationibus simoniacorum, quia ministri carebant officio, quippe quod non sit «sine his quibus debet impendi, velut si quis dicatur habere licentiam agrum colendi, et ei ager quem colat desit»<sup>277</sup>. Simili motivo impugnabat Ratherius ordinationes Milonis, invasoris suae sedis veronensis. Petrus Damianus testatur Nicolaum II tenuisse simoniacos esse privatos iure ministrandi; unde «per eos exhibita sacramenta contemnimus»<sup>278</sup>.

Ioannes Faventinus, dum Episcopo separato ab Ecclesia postquam ordinem episcopatus suscepit

---

<sup>276</sup> Stephanus Tornacensis testabatur: «Utrum autem praecisi corpus Christi perficiant, non minor huius quaestionis dubitatio est. Nam et orthodoxi Patres videntur discordare, et nostri etiam temporis catholici doctores in eo articulo contradictorie sentiunt». *Die Summa des Stephanus Tornacensis über das Dekretum Gratiani*, edit. F. Schulte (Giesen 1891) pag. 265.

<sup>277</sup> PL 143, 105.

<sup>278</sup> *De sacramentis ad improbos administratis* cap. 1, in PL 145, 524.

agnoscebat potestatem conferendi ordines validos, negabat eidem potestatem iuris vel iustitiae communicandae quam non habebat. Unde, ordinatus ab eo non haberet potestatem ordinandi alios, «quia licet potestas faciendi sine potestate iuris in aliquo esse possit, non tamen sine ea incipere potest, cum naturalis ordo sit ut ex officio quis incipiat consecrare posse, non e contrario»<sup>279</sup>.

Supra notata fuit opinio Petri Pictaviensis, iudicantis quaestionem hanc magis decretalem quam theologicam, resolvendam proinde a regimine auctoritatis supremae, providentis saluti animarum in Ecclesia. Nec oblivioni mandetur sententia plurium saeculi XIII auctorum, potestati supremae Ecclesiae attribuentium facultatem exauctorandi ministros indignos, quae non habet explicationem nisi in hypothesi auctoritatis acceptae ad disponendum secundum bonum Ecclesiae de valore vel de invaliditate sacramenti ordinis<sup>280</sup>.

f) *Munus santificandi invalide applicatum sine complente munere regendi*. Opinio S. Hieronymi, iuxta quam simplex sacerdos nequit valide conferre sacramentum ordinis propter legem ecclesiasticam irritantem huiusmodi attentatam collationem, numquam penitus exstincta est in Ecclesia. Immo, praeter alios casus, praesertim e saeculo VIII, citantur, historia probata, indulta Bonifacii VIII a. 1400, Martini V a. 1427 et Innocentii VIII a. 1489, quae nunquam

---

<sup>279</sup> Relatus in *Summa Lipsiensis*. Cf. apud Saltet, o.c. in not. 246, pag. 315-316.

<sup>280</sup> Iam in amplo *Dictum Gratiani* quod sequitur c. 97, C 1, q. 1, habetur sententia dubiae significationis: «Degradatus enim episcopus potestatem largiendi sacros ordines non habet, facultatem tamen baptizandi non amisit.

fuerunt considerata tanquam erronea usurpatio facultatis inexistens in suprema auctoritate Ecclesiae<sup>281</sup>; et quod attinet ad privilegium Cistercensium, in quinque eorum domibus usque ad finem saeculi XVIII applicatum fuit, et anno demum 1902 abrogatum<sup>282</sup>. Iam vero, id satisfactoriam explicationem vix habet nisi admittendo sacerdotes, in ordinatione presbyterali accipere facultatem sacramentalem sufficientem ad conferendos ordines, quam tamen nequeunt applicare nisi, in ordine pastoralis regendi populi Dei, obtineant ab auctoritate suprema Ecclesiae missionem ad hoc munus exercendum<sup>281</sup>.

Agendo de sacramento confirmationis collati a ministro irregulariter agente, pro certo habebatur semper sacramentum valide conferri ab episcopis carentibus potestate iurisdictionis in subditos, quia considerabantur ministri huius sacramenti hic et nunc apti, saltem ex non oppositione radicali Romani Pontificis. Dubitabatur de presbyteris ritus orientalis, quibus nefas erat quidem ea ministrare infantibus ritus latini<sup>283</sup>, sed diversi canonisti sustinebant valorem talis ministrationis, contra alios.

---

<sup>281</sup> Cf. DS 1145-1146. 1290. 1435; C. BAISI, *Il ministro straordinario degli ordini sacramentali* (Roma 1935); J. BEYER, *Nature et position du sacerdoce*, in: Nouvelle revue théologique 76 (1954) 361-368.

<sup>282</sup> Explicatio horum factorum apud theologos formulationes habet diversas, sed in re sat similes. In linea *ordinis*, alii supponunt haberi potestatem remotam, inchoatam, ligatam, quae per Pontificem fit proxima, completa, libera ad actum. In linea iurisdictionis alii censent potestatem ordinis susceptam, lege ecclesiastica impediri ab exercitio, vel negative substrahi applicationi, non designando subditos ordinandos. Cf. E. DORONZO, *De ordine* II (Milwaukee 1959) pag. 260.

<sup>283</sup> Cf. CIC 1917, can. 782 § 5.

Cum nostris diebus quaestio agitari coepit inter canonistas etiam de illis sacerdotibus latinis qui acceperant a Pio XII facultatem conferendi confirmationem in determinatis adiunctis<sup>284</sup>, plures fuerunt iam ab initio theologi et canonistae, ac postea opinio vix non evenit communis; unde confirmatio ab illis administrata ultra limites sibi permissos evaderet valida in verificatione erroris communis, quo stante suppleret Ecclesia potestatem iurisdictionis deficientem<sup>285</sup>. Quod significat simplicem sacerdotem accipere in ordinatione dispositionem radicalem ad conferendum sacramentum confirmationis, quod hodie magis confirmatur in disciplina largiori<sup>286</sup>; quin tamen hanc facultatem valide exercere queant sine adiecta a Romano Pontifice ulteriori facultate annexa muneri regendi.

Similis actio coniuncta utriusque sacrae potestatis similiter requiritur et exercetur in administratione sacramenti poenitentiae, id quod in doctrina theologorum pro nonnullis est theologice certum, immo proximum fidei, attenta expositione Concilii Tridentini<sup>287</sup>. Differentia, tamen, notatur inter modum transmissionis huius potestatis iurisdictionis ad ministros utriusque sacramenti. Episcopi cum canoni-

---

<sup>284</sup> Cf. AAS 38 (1946) 349-354; 40 (1948) 41.

<sup>285</sup> Inter plurimos excelebat studium A. MOSTAZA, *El ministro extraordinario de la confirmación* (Salamanca 1952).

<sup>286</sup> Cf. can. 883. 887. Can. 882 conservat pro episcopis traditionalem qualificationem «minister *ordinarius*», quin tamen sacerdotes dicantur ministri *extraordinarii*. In Concilio, quasi improvise, episcopi dicti sunt ministri *originarii* confirmationis (LG 26, c), fortasse ad insinuandum presbyteros quoque accipere in ordinatione potestatem non expeditam ad eam conferendam.

<sup>287</sup> Cf. DS 1685. 1686. 1709.

ca missione a Summo Pontifice data, iure divino gaudent pleno munere administrandi sacramentum paenitentiae suis subditis, itemque sacramentum confirmationis tanquam ministri huius sacramenti originarii; dum simplices sacerdotes, itemque episcopi relate ad fideles sibi non subditos, indigent approbatione, auctoritatis competentis; illi ad validam, isti ad licitam administrationem huiusmodi<sup>288</sup>.

In iis, igitur, confirmatur opinio attribuens supremae auctoritati Ecclesiae facultatem invalidandi ritum sacramentalem aliquorum sacramentorum rite executum quod spectat ad materiam, formam, subiectum aptum ad illud suscipiendum, ministrum radicaliter capacem ad ipsum conferendum, propterea quod ad christiani populi disciplinam pertineat, ut ministri in quadam dependentia e Hierarchia suprema hoc grave et delicatum ministerium exercean.

Canonici, igitur, principii, quod in errore communi et in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti iurisdictionem supplet Ecclesia, applicatio certa habetur saltem in tribus sacramentis, per interventum Supremae auctoritatis ad validandum ritum sacramentalem per se inanem, consiliante sic bono publico. Et applicatio fit indubie sine usurpatione potestatis non acceptae a Deo. Si respicimus facta historica mediaevalia haud inverosimiliter supponemus auctores plures admisisse quoad rem talem potestatem adfuisse et applicatam fuisse per Romanos Pontifices, cum pro casibus extraordinariis fuerint qui putaverint ipsum Deum interdum supplevisse defectum alicuius conditionis iure divino requisitae<sup>289</sup>.

---

<sup>288</sup> Cf. can. 967.

<sup>289</sup> Gerson, inspirationem capiens ab Scoto, etsi neget presbyteris facultatem confirmandi aut ordinandi ob traditionem

Placet dicta in synthesim illustrativam componere testimonio theologi inter praeclaros praeclarissimi saeculo superiore, M.J. Scheeben<sup>290</sup>. Loquitur de potestate *ordinis* pro dispensatione gratiae, et de potestate quae dici potest *pastorali*, regendi et docendi. Non debent considerari essentialiter diversae et separabiles; sed aliunde potest existere potestas ordinis sine potestate pastorali iurisdictionis, v. gr. in episcopo titulari. Coetus sacerdotalis vocatur ad exercendam maternitatem spiritualem Ecclesiae, communicando fidelibus gratiam Christi et eosdem ducendo ad omnem veritatem et omne bonum.

Ex hoc, tamen, non sequitur quemlibet ordinatum gaudere potestate pastorali plena aut partiali, sed nequidem posse dispensare gratiam fidelibus sine commissione; nam talis dispensatio non iam pertinet ad potestatem sacramentalem, sed ad pastoraalem.

Eadem ratione qua Spiritus Sanctus committit suis organis sacerdotalibus directionem et gubernium Ecclesiae, debet quoque ligare exercitium potestatis sacerdotalis eorum et collationem potestatis pastoralis eorundem ad determinatum ordinem, illud subiciendo unius directioni, ut in pluralitate habeatur unitas et ordo.

*«Ab unitate potestatis pastoralis pendet, igitur, in modo speciali unitas Ecclesiae in sua vita sociali... Hanc unitatem potestatis pastoralis Ecclesiae invenimus in hoc quod plenitudo talis potestatis, secundum fidem Ecclesiae, insidet tota in uno Pontifice, cui subduntur et subiciuntur omnes fideles, sacerdotibus et episcopis Ecclesiae inclusis; adeoque omnes*

---

contrariam, conicit «quod Deus misericorditer supplet quod deest [in ministro], sicut in simili dicit Scotus de illis qui putant esse sacerdotes et non sunt». *Opera omnia*, t. II (Anversa 1706) col. 267.

<sup>290</sup> *Mysterien des Christentums* (Freiburg im Br 1865).

*episcopi et sacerdotes nequeunt obtinere et exercere ullam potestatem pastorem nisi dependentes ab eo et uniti cum eo...; potestas pastoralis erumpit ab eo ad alios pastores Ecclesiae, sicut a sole radii, a fonte rivuli... Praesente in eo tota potestate pastoralis, et data impossibilitate concipiendi in Ecclesia aliam ab eo independentem, Ecclesia est vere et perfecte una, non tantum in suo vertice, sed etiam in sua radice, ideoque fundamentaliter et radicaliter»<sup>291</sup>.*

Hanc ponderatam conceptionem Scheeben considerat fundatam, et proxime ab ea derivatam, in doctrina Concilii Vaticani I de primatu Pontificis romani<sup>292</sup>. Reproposita est, autem, in Vaticano II, composita cum doctrina de episcopatu sine ulla diminutione competentiae. Ea videtur valde apta ad bene percipiendam sententiam Pauli VI expressam in Notae explicativa praeviae, observatione 2a.

*«Episcopalis autem consecratio, cum munera sanctificandi, munus quoque confert docendi et regendi, quae tamen, natura sua, non nisi in hierarchica communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt»<sup>293</sup>.*

<sup>291</sup> O.c. 529-530.

<sup>292</sup> Scheeben monet contra conceptum Ecclesiae secundum schema societatis civilis. In hac, etsi habeat regimen monarchicum, auctoritas suprema repraesentat interesse commune et non pertinet ad essentiam talis societatis. Ecclesia autem constituitur circum centrum supernaturale praeexistens, Christum, cum suo Spiritu, qui exercet auctoritatem per unicum repraesentantem et organum, constitutum non tam ut apicem repraesentativum totalitatis, quam ut fundamentum in quo unitas totalitatis subsistit, et a quo essentialiter dependet unitas Ecclesiae. Huius unitas manifestari debet in vita sociali externa reflectendo unitatem spirituales internam dependenter ab unitate potestatis pastoralis, quae inest tota, etsi non totaliter, in uno Supremo Pastore, cui subicitur grex totus, fideles, sacerdotes et episcopi. Horum potestas pastoralis obtinetur et exercetur in dependentia a Romano Pontifice.

<sup>293</sup> *Lumen gentium*, 21 b. Textus prior pro munere habebat potestatem et pro communione adhibebat vinculum. Cf. AS III, I, 215. 240.

At vero haec praecise conciliaris assertio obicitur a pluribus contra theoriam nobis probatam, de potestate Summi Pontificis ad invalidandos ordines irregulariter collatos, quatenus assertio ait in consecratione episcopali suscipi triplex munus sanctificandi, docendi et regendi, addendo, tamen, duo ultima, non primum, exerceri non posse nisi in communione cum Hierarchia. In quo insinuaretur potestatem ordinis valide exerceri etiam extra communionem Ecclesiae.

Non est hic locus considerandi et funditus discutiendi significationem illius sententiae, quae ceteroquin ultimis annis attento examine a pluribus illustrata est<sup>294</sup>. Summatim indicavimus considerationes aliquas quae sufficiant ad difficultatem recte mensurandam et evacuandam.

Et primum quidem constat Concilium, pro more in praecedentibus Synodis observato, noluisse sua auctoritate quidquam pronuntiare in quaestionibus adhuc multum controversis inter theologos et canonicos catholicos, qualis est ista: Utrum auctoritas Ecclesiae habeat potestatem irritum faciendi, propter bonum commune, ritum sacramentalem ordinationis sacrae, incapacitando ministrum ad illum valide perfi-

---

<sup>294</sup> In his ipsis Periodicis v. gr. G. GHIRLANDA, *De hierarchica communione, ut elementum constitutivum officii episcopalis iuxta Lumen gentium*, 69 (1980) 31-57; A.M. STICKLER, *De potestatis sacrae origine et natura*, 71 (1982) 65-91; W. BERTRAMS, *De origine et significatione notionis Hierarchica communio*, 69 (1980) 23-30; IDEM, *De quadam singulari relatione Concilii*, 68 (1979) 369-376. Praeterea opera G. GHIRLANDA, *Hierarchica communio, Significato della formula nella Lumen gentium* (Roma 1980); A. CELEGHIN, *Origine e natura della potestà sacra* (Brescia 1987).

ciendum, an solummodo possit illicitas reddere ordinationes irregulares<sup>295</sup>.

In schemate praeparato a commissione theologiae mense maio 1962, de episcopatu ut supremo gradu sacramenti ordinis, efferendo distinctionem inter presbyteratum et episcopatum, dicebatur de episcopo quod

*«ita caractere sacramentali ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit, nec unquam potestatem valide conferendi sacramentum confirmationis et ministros Ecclesiae ordinandi amittere possit»*<sup>296</sup>.

Et hoc idem continebatur in Schemate Constitutionis dogmaticae de Ecclesia distributo Patribus mense novembri 1962<sup>297</sup>.

Iam vero, utraque assertio disparuit in schemate definitivo. Immo, posterior iam in prima discussione in aula, rogante una voce ut

*«haec tollantur, quia hodie multi sunt theologi asserentes, sub luce solidorum argumentorum historicorum, Ecclesiam posse ponere condiciones valoris, etiam validae administrationi sacramentorum»*<sup>298</sup>.

Si canonistas meminisset assertum, multo ampliori auctoritate externa fundatum fuisset.

---

<sup>295</sup> In relatione ad nostram quaestionem Commissio declarabat: «In quaestiones theologicas controversas, v. gr. *de invaliditate* [sacramenti irregulariter administrati] non est intrandum». Acta Synodalia (AS) III, VIII, pag. 94-95; Cf. etiam *Nota explicativa praevia*, N.B. finalis.

<sup>296</sup> AS I, IV, pag. 23.

<sup>297</sup> Originem habuerat in Commissione praeparatoria, et conservata fuit in pluribus Schematibus usque ad textum «priorum». Cf. Acta praepar. II, III, 135, AS III, I, pag. 215.

<sup>298</sup> AS II, I, 531.

Ex factis historicis et ex praxi habituali circa sacramenta confirmationis, paenitentiae et ordinis constat presbyteros, ordine sacro aptos ad ea faciendi, posse impediri quominus ea valide administrent. De episcopis, quoque, idem tenebat disciplina ecclesiastica quoad sacramentum paenitentiae<sup>299</sup>. Pro confirmatione, autem, et pro ordine doctrina plurium saeculorum pro re certa sustinuit validitatem, etsi conferrentur ab episcopo contra normam canonicam, immo, et contra expressam prohibitionem latam a Summo Pontifice.

Et sane valida fuisse et nos dicimus, quatenus suprema auctoritas Ecclesiae, secundum normam observatam, noluit sua prohibitione invalidare actus ordinis suorum ministrorum, etsi poena suspensionis ab ordinibus sacris fuerint sanciti, etiam cum sententia declaratoria vel condemnatoria<sup>300</sup>. Noluisse Pontifices invalidare actus ordinis irregulares in episcopis sese subtrahentibus a disciplina constat pluribus testimoniis, inter quae recentiores declarationes Pii XII circa communitatem nationalem sinensem. Dum enim episcopis irregulariter consecratis quamlibet potestatem magisterii et regiminis negabat, ulterius declarabat: «Actus vero, ad potestatem ordinis pertinentes, ab huiusmodi viris ecclesiasticis patrati, etiam validi sunt, dummodo valida fuerit consecratio ipsis collata; sunt tamen graviter illiciti, id est, flagitiosi et sacrilegi»<sup>301</sup>. Ordinationes, igitur, ab iis viris attempta-

<sup>299</sup> Cf. M. pr. *Pastorale munus*, in AAS 56 (1964), 11, n. 2.

<sup>300</sup> Cf. cann. 2279 § 2, 4<sup>o</sup> et 2283 coll. 2265 a. 1917; can. 1333 § 2 a. 1983.

<sup>301</sup> PIUS XII, Litt. encycl. *Ad Apostolorum principis*, in AAS 50 (1958) 611. Pluries eandem doctrinam expressit, v. gr., AAS 35 (1943) 211-212; 47 (1955) 9; 34 (1942) 141 141. Similiter LEO XIII,

tae fuissent validae secundum hanc declarationem et praxim Ecclesiae, itemque confirmationes; invalidae, autem, confessiones extra casum erroris communis.

Ut superius indicatum est, administratio confirmationis non fit, secundum communioem nunc sententiam, sine exercitio iurisdictionis; ideoque, sicut episcopi mere titulares invalide absolvissent peccata ante M. pr. *Pastorale munus* propter defectum iurisdictionis, similis norma potuisset valere pro eisdem confirmationem administrantibus<sup>302</sup>. De facto non valebat. Canones aliter statuebant. Sed statutum illud, ut coniciendum videtur, determinabatur et sustentabatur propter opinionem erroneam tacite subiacentem circa applicationem solius potestatis ordinis in administratione confirmationis. Agebatur de errore nullum nocumentum afferens vitae ecclesiali, quae hodie, sine scandalo, posset in hac re mutare disciplinam. Cur non similis error non existat circa sacramentum ordinis?

In discussione textus emendati, quae praecessit in Concilio approbationi Constitutionis, multi Patres gravem movebant difficultatem contra novissimam

---

cf. DS 3308-3309. Cf. quoque Ioannes XXIII, Allocutio consistorialis, in: AAS 50 (1958) 983.

<sup>302</sup> In Codice a. 1917 cann. 782 § 1 et 981 episcopum dicunt ministrum *ordinarium* respective Confirmationis et Ordinis; quasi ad modum consequentiae, supponitur eos semper valide ea sacramenta conficere. Potestatem, autem, valide absolvendi peccata non habebant episcopi, nisi qui fuerint Ordinarii loci et pro suo quisque territorio secundum can. 873 § 1. Haec disciplina conservata est in novo Codice cann. 883 et 1012. Pro paenitentia can. 967 § 1 concedit cuilibet episcopo facultatem absolvendi ubique terrarum. Presbyteri facultate confirmandi instructi, extra proprium territorium nemini valide administrant confirmationem extra mortis periculum, secundum can. 887.

formulam: «Episcopalis autem consecratio, cum munere sanctificandi, munera quoque confert docendi et regendi», non obstante additione restrictiva «quae tamen *natura sua* nonnisi in Communione cum Collegii Capite et membris exerceri possunt»<sup>303</sup>. Nec difficultatem elidere valuerat illud incisum «*natura sua*», quod in secunda phrasi introductum fuerat Summo ipso Pontifice suggerente. Revera innovatio ultimae horae magna fuerat. In textu priori conservabatur formula pluries in praecedentibus schematibus praesentata:

*«Dominus Iesus, Pastor animarum nostrarum (1Pt 2,25) potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit, ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae in sacramento ordinis confertur»*<sup>304</sup>.

Ut facile patet ex relatis, usque ad ultimum schema affirmabatur quidem intima connexio inter tres potestates quibus gaudent episcopi in ministerio pastoralis sibi designato, sed sola potestas sanctificandi supponi videbatur directe collata in ordinatione. Mens tamen, non erat perspicua. Nam in schemate distributo patribus a. 1962, post eam sententiam quae aperiabat caput III<sup>305</sup>, agendo de primatu et episcopatu in capite IV, aliud significabatur: «Etsi sacra ordinatio summi gradus sacerdotii cum munere sanctificationis munera quoque magisterii et regiminis quibus iurisdictio constat, tribuat, tamen episcopi iuri-

<sup>303</sup> In Suggestionibus missis a Pontifice «proponitur ut ...dicatur *natura sua* nonnisi in communionem... exerceri possunt». AS III, I pag. 240. Cf. *ibid.* 215.

<sup>304</sup> AS III, I, n. 14 pag. 214. Cf. Acta praepar. II, II, III, n. 1, pag. 1038; AS I, IV, 23; II, I, n. 14, pag. 233.

<sup>305</sup> AS I, IV, n. 11, pag. 23.

sditionis exercitium non ipsa ordinatione sacra, sed missione... a regimine Ecclesiae supremo accipiunt»<sup>306</sup>. Sic indicabatur tria munera radicaliter conferri in consecratione episcopali; munus autem magisterii et regiminis non obtineri pro exercitio in actu secundo nisi ex concessione Summi Pontificis, ut ferebat sententia traditionalis.

Textus emendatus asserta utriusque illius capitis III et IV componebat, sed Romano Pontifici non agnoscebat partem determinantem in constituenda ipsa munera docendi et regendi, ad summum concedens facultatem prohibendi eius usum. Et probabiliter concludendum fuisset prohibitionem non afficere valorem, sed solam liceitatem actuum irregularium iurisdictionalium, sicut communiter supposebatur de actibus sanctificatoriis executis vi potestatis ordinis<sup>307</sup>.

Textus approbatus pro discussione finali adhuc fortem resistentiam 481 Patrum habuerat ante discussionem modorum. Pro hac discussione alterum incisum magni momenti theologici pro unitate Capituli Ecclesiae inductum fuerat, iterum suggerente Paulo

---

<sup>306</sup> *Ibid.* n. 14, pag. 26.

<sup>307</sup> «Episcopalis autem consecratio cum munere sanctificandi munera quoque confert docendi et regendi, quae tamen *natura sua* non nisi in communione cum collegii Capite et membris exerceri possunt» AS III, I, n. 21, pag. 215. Multi Patres petebant maiorem perspicuitatem, in fidelitate ad traditionem. «...dicatur consecrationem episcopalem conferre munus sanctificandi, et ita subiectum *disponere* et *aptum efficere* ad munera docendi ac regendi... [vel] haec munera radicaliter vel aptitudinaliter conferuntur... [vel] *radicitus... dispositive, virtualiter, in actu primo...*» AS III, VIII, n. 39, pag. 62. Commissio respondit modo pro multis non satisfactorio (*ibid.*). Paulus VI suggesturus erat inductionem felicissimam «nonnisi in communione *hierarchica* cum Collegii Capite et...»

VI, ut diceretur munerum docendi et regendi non posse haberi exercitium nisi in communione «hierarchica» cum Collegii Capite et membris<sup>308</sup>. Sed elucinationes factae in Aula et expansiones modorum nondum obtinuerunt illam moralem unitatem consensus, quae pro approbatione definitiva desiderabatur. In suffragatione huius partis adhuc 148 Patres dissentiebant<sup>309</sup>. Voluissent restringere affirmationem absolutam in qua dicebatur munera docendi et regendi, sicut munus sanctificandi, communicari episcopis in ipsa consecratione. Verebantur ne doctrina traditionalis de potestate iurisdictionis, quam exposuerat Exc. Franc in aula, pessum iret, non obstante explicatione quietante commissionis: «restrictiones propositae non acceptantur quia contradicerent textui approbato; ceterum carent motivo, quia non satis considerant vim verborum asserentium munera illa exerceri non posse nisi in communione»<sup>310</sup>.

Crisis persistebat in Aula. Emendationes allatae nondum satisfaciebant pluribus decenis Patrum. Sed tunc providentialis interventus Summi Pontificis, arti-

---

<sup>308</sup> Circa significationem formulae «hierarchica communio» in mente Pauli VI, qui eam suggererat Patribus, cf. G. GHIRLANDA, *De hierarchica communione ut elemento constitutivo officii episcopalis iuxta Lumen gentium*, in: Periodica 69 (1980) 33-36.

<sup>309</sup> Cf. W. BERTRAMS, *De quadam singulari relatione concilii Vaticani II*, in: Periodica 68 (1979) 372.

<sup>310</sup> Ad restrictiones propositas a pluribus Patribus respondebat Commissio: «Omnes illae lectiones variantes textui approbato contradicunt, quippe qui affirmat consecratione conferri. cum munere sanctificandi *etiam munera regendi ac docendi*, cum hac quidem restrictione quod haec ultima *extra communionem* exerceri non possunt. Ad quam restrictionem hi Patres probabiliter non satis attendunt». Acta Synodalia III/VIII, 62, 14. At vero, fortasse, ipsa Commissio non satis attendebat ad ambiguitatem formulae «exerceri non possunt».

cis *Notae explicativae praeviae*, ad cuius mentem atque sententiam intelligenda esset doctrina capitis III<sup>310</sup>, serenitatem attulit animis fere omnium, quia per eam doctrina traditionalis firma manebat; immo, ut probabimus perficiebatur<sup>311</sup>.

In hac nota reaffirmabatur quidem in consecratione episcopali dari ontologicam participationem trium sacrorum *munerum*; at vero munera intelligebantur aliquid diversum a *potestate expedita* ad actum, et quidem non quia obtinerentur in eadem linea cum munere quantitative incompleto, sed tanquam aliquid qualitative ab eo diversum adhuc deficiens<sup>312</sup>. Munus quippe episcopale concipiendum videtur tanquam charisma proveniens a Deo ratificatum ab Ecclesia in conferenda plenitudine sacramenti ordinis, disponens ad officia propria vocationis episcopalis sanctificandi, docendi et gubernandi suscipienda per interventum omnino necessarium Vicarii Christi, determinantis officium et designantis missionem particularem unicuique episcopo cum correspondenti potestate expedita, iure divino annexa commisso officio et missioni.

Potestas pastoralis plena super universam Eccle-

---

<sup>311</sup> «Superiore dein auctoritate communicatur Patribus *Nota explicativa* praevia ad modos circa caput III Schematis de *Ecclesia*, ad cuius notae mentem atque sententiam explicari et intelligi debet doctrina in eodem capite tertio exposita». Notificatio Secretarii generalis Concili Notae praemissa.

<sup>312</sup> «Doctrina de fundatione potestatis docendi et regendi episcoporum in consecratione episcopali non aufert ullo modo *plenam supremam potestatem Summi Pontificis in episcopos*, sive singulos, sive corpus eorum. Insistendum enim est, quod potestas, quatenus in consecratione episcopali confertur, tanquam ad actum non expedita, non est res quantitativa, sed qualitativa, cuius efficacia concreta *missionem determinantem* requirit». W. BERTRAMS, o.c. in nt. 309, pag. 375-376.

siam ad eam sanctificandam, docendam et gubernandam commissa est Summo Pontifici; ceteri pastores non possunt ullum officium exercere, nequidem illud sanctificandi fideles distribuendo sacramenta et applicando alia media per quae Ecclesia procurat gratias Spiritus Sancti, sine subordinatione et dependentia ab eo cui grex totus demandatus est<sup>313</sup>.

Hoc putamus erui posse, et eruendum esse, considerando in situ Notam explicativam praevidiam, sub cuius luce totum caput III considerandum est. Ea continet in particulari interpretationem authenticam vocabuli «munera», quod designat triplicem charismaticum effectum immediatum, cum correspondenti

---

<sup>313</sup> «Allein damit ist nicht gesagt, dass diese Hirtengewalt ganz oder teilweise ohne weiteres kraft der priesterlichen Würde in jedem einzelнем wohne. Es ist nicht einmal gesagt, dass ein jeder ohne weiteres auch nur die Berechtigung habe, seine priesterliche Fruchtbarkeit auszuüben und über die in derselben liegenden Gnadenschätze für sich oder zugunsten der Gläubigen zu verfügen, selbst gehört nicht mehr der Priestergewalt als solcher, sonder der Hirtengewalt an. Dieser allein kommt es zu, wie die kirchliche Tätigkeit der übrigen Gläubigen, so auch, wenn nicht noch mehr, diejenigen Tätigkeiten zu leiten und normieren, durch welche der hl. Geist seine Gnaden spendet» J.M. SCHEEBEN, *Die Mysierien des Christentums* (Mainz 1931) § 80, pag. 517-518. Ad rem etiam U. NAVARRETE: «Haec potestas sacra qua Christus voluit Ecclesiam instructam esse ut munera docendi, sanctificandi et regendi ipsa actuaret, habet ut subiectum supremum Romanum Pontificem et Collegium episcoporum cum et sub Romano Pontifice; participatur vero hierarchice a singulis episcopis atque etiam a presbyteris. Communicatur vero cum muneribus docendi, sanctificandi et regendi, consecratione episcopali (et ordinatione presbyterali pro suo gradu); ut autem sit expedita ad actum, «accedere debet canonica seu iuridica determinatio per auctoritatem hierarchicam» Periodica 60 (1971) 474.

gratia sacramentali, quem producit episcopalis consecratio. In nota explicativa, n. 2 quattuor singularis momenti pro nostra quaestione declarantur: a) «In consecratione datur *ontologica* participatio *sacrorum* munerum; b) consulto adhibetur vocabulum *munerum*, non vero *potestatum*; c) ut potestas *ad actum expedita*... habeatur, accedere debet *canonica* seu *iuridica determinatio* per auctoritatem hierarchicam»; d) ea determinatio fit «iuxta normas a suprema auctoritate approbatas ... *ex natura rei* [requisita], quia agitur de muneribus quae *a pluribus subiectis*, hierarchice ex voluntate Christi cooperantibus, exerceri debent».

Nota, ut patet, non facit distinctionem quam schemata praecedentia, usque ad textum priorem, faciebant inter potestatem sanctificandi et potestatem docendi et gubernandi, quoad earum originem. Tres potestates arcto vinculo connexae agnoscebantur, sed sola potestas sanctificandi dicebatur collata in ordinatione. In textu reformato agebatur consulto de tribus muneribus absque ulla differentiatione quoad originem. Secundum notam tria munera, haud expedita ad actum, non confundenda sunt cum triplici potestate, quae intelligitur expedita ad actum, quin Nota faciat distinctionem inter potestatem sanctificandi et alias duas quoad determinationem earum, dum generaliter dicit «ut talis expedita potestas habeatur, accedere debet... *determinatio* per auctoritatem hierarchicam». Omissa, igitur, qualibet distinctione, implicite omnes tres *potestates* per auctoritatem hierarchicam determinari affirmatur. Igitur, etiam potestas ordinis indiget determinatione, ut exerceri possit per concessionem officii aut per determinationem subiectorum. Hoc saltem non negatur.

Verum est quidem de solis duobus muneribus

docendi et gubernandi<sup>314</sup> asseri in Constitutione 21, b, ea nonnisi in hierarchica communione exerceri posse, dum circa munus sanctificandi nihil declaratur. Sed hoc non creat difficultatem thesi a nobis sustentatae. Habebatur motivum ad eam declarationem, nam haec duo *natura sua* exercenda sunt in communione cum Collegii Capite et membris. Exercitium iurisdictionis habet primariam applicationem in fideles-membra societatis ecclesialis, ideoque natura sua ordinem hierarchicum a Christo Ecclesiae datum revereri et observare debet<sup>315</sup>. Exercitium ordinis primariam applicationem habet gratiae sacramentalis per Spiritum Sanctum in fideles-individuos beneficiarios gratiae divinae; et quamquam regulariter, ex dispositione divina positiva, non potest exerceri independenter a Romano Pontifice propter motivum supra expressum, dantur casus excusantes ab illa dependentia, ut est, praeter baptismum in extrema necessitate cuius administratio magis competit sacerdoti, etiam sanctioni poenali affecto, quam laico, saltem absolutio fidelium in periculo mortis deficiente alio sacerdote<sup>316</sup>, et fortasse etiam unctio iam morientium qui non possunt

---

<sup>314</sup> Hoc patet in responso de quo in nt. 306: Textus «affirmat consecratione conferri, cum munere sanctificandi *etiam munera docendi et regendi*, cum hac quidem restrictione quod haec ultima *extra communionem* exerceri non possunt» AS III, VIII, n. 39, pag. 62.

<sup>315</sup> Cf. J. BEYER, *De natura potestatis regiminis seu iurisdictionis recte in Codice renovato enuntianda*, in: Periodica 71 (1982) 117-118.

<sup>316</sup> Disciplina Ecclesiae statuit: «quilibet sacerdos, licet ad confessiones excipiendas facultate careat, quoslibet paenitentes in periculo mortis versantes valide et licite absolvit a quibusvis censuris et peccatis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus». Can. 976. Cf. nt. 317.

signis externis accusare sua peccata. Censem in his extremis casibus legem divinam positivam praescribentem dependentiam consecrati ministri ab auctoritate suprema Ecclesiae non sustineri, ideoque illam declarationem restrictam ad potestatem iurisdictionis fuisse necessariam.

Ceterum affirmatio unius non est negatio alterius; et ad affirmationem in casu faciendam circa potestatem iurisdictionis ligatam urgebat necessitas manifestandi conservari doctrinam traditionalem, et removendi difficultates et obiectiones quae impediebant unitatem in suffraganda Constitutione *Lumen Gentium*.

Restat clarum et firmum quod Concilium, sive quoad originem munerum episcopalium, sive quoad potestates quas expeditas habeant episcopi-pastores constituti, nullam distinctionem fecit, et declarationem particularem circa munera docendi et gubernandi convenientem fuisse, tam pro praecisione doctrinae respectu casuum exceptionalium, quam pro eliminanda resistantia quorundam Patrum, clariorem affirmationem traditionis postulantium.

Non dicemus modum loquendi unitarium de communicatione episcopis triplicis muneris et triplicis expeditae potestatis implicare necessario invaliditatem exercitii irregularis potestatis ordinis; sed licet sustinere hoc virtualiter contineri, vel saltem probabilitatem efferri, eoque magis nihil contrarium indicari. Motivum quod in nota explicativa requirit determinationem iuridicam per auctoritatem hierarchicam ut potestate expedita gaudeant episcopi quoad regimen, perinde valet pro potestate sanctificationis. Utraque exercetur in Ecclesia et utraque absque limitatione affidata est Romano Pontifici, Vicario Christi. In Ecclesia una, hierarchico-monarchica ex

institutione Christi, centrum unitatis et fons auctoritatis est Vicarius Christi in terra, et ab eo habent immediate officium et missionem pro Ecclesiis particularibus episcopi. Universalis pastoris est gubernare universum gregem, «pluribus subiectis, hierarchice ex voluntate Christi cooperantibus», ideoque ab eo dependentibus<sup>317</sup>.

Nec licet haec interpretari tanquam normas iuris vetantis, quae inobservantiam faciunt illicitam sed actum vetitum non reddunt invalidum nisi hoc expresse determinetur. Hic non agitur de norma iuris humani, sed de ordinatione divina, cui potest accedere prohibitio ecclesiastica pro qua, ut tali, possit valere illa interpretatio<sup>318</sup>. Et ordinatio divina, ut dictum est, disposuit potestatem pastorem unitariam a pluribus subiectis hierarchice gerendam, quae non permittit sub hoc aspectu distinctionem in actione pastorali; revera, qui docet, regit; qui docet et regit, sanctificat; et qui sanctificat, docet simul et regit.

---

<sup>317</sup> Cf. *Nota explicativa praevia* n. 2; Pius XII, *Allocutio ad parochos Urbis...* in AAS 34 (1942) 141. Ibi legitur: «Il Vicario di Cristo è il centro della sua [della Chiesa] unità e la fonte dell'autorità, come colui, al quale debbono essere uniti tutti gli altri pastori e da cui questi immediatamente ricevono la loro giurisdizione e la loro missione».

<sup>318</sup> Sic accidit in quibusdam canonibus ecclesiasticis. In canone citato in nt. 316, ultima verba «etiamsi praesens sit sacerdos approbatus» indicant ex parte iuris ecclesiastici concedi iurisdictionem; sed non mutant ius divinum per se abstinendi in eo casu ab absolutione conferenda a sacerdote non contrito de peccatis mortalibus. Similiter can. 961 non tollit iurisdictionem sacerdoti absolventi pluribus insimul paenitentibus extra casus in iure determinatos. Absolutio, ex hac parte, illicita erit, sed non invalida. At invalida erit pro fidei conscio de sua gravi violatione legis divinae et canonicae in attendanda per eam absolutionem remissione mortalium peccatorum.

Pariter non creat difficultatem ea declaratio memorata quae refertur ad solum munus docendi et regendi in communione hierarchica natura sua exercendum, propter considerationes supra factas. In confirmationem addere possumus Concilium, per illam clausulam, non intendisse negare plenitudinem regiminis iurisdictionalis posse obvenire laico in Summum Pontificem electo et acceptante electionem, antequam consecrationem episcopalem acceperit<sup>319</sup>.

Unde concluditur quod, secundum Concilii explicitam affirmationem, etiam ea quae respiciunt munus sanctificandi conferuntur in consecratione episcopali non ut potestas expedita ad actum, absque assignatione particularis officii vel designatione subditorum in aliqua Ecclesia particulari, sed ut aliquid virtuale complendum ab eo cui competit officium conservandi unitatem in societate ecclesiali, et hinc gaudendi omnibus necessariis ad eam efficaciter tutandam. Quatenus, igitur, exercitium potestatis ordinis incidit in vitam socialem externam Ecclesiae, non potest obtineri et valide exerceri in recte constituta societate nisi per missionem a suprema auctoritate acceptam.

---

<sup>319</sup> Ad modum 35, pag. 62, lin. 38 de subiecto nondum episcopo (etiam simplici laico) in Romanum Pontificem electo, respondebatur: «textus... casum tam particularem non considerat... electus, inde a sua acceptione, *immediate a Deo fit caput Ecclesiae*... Ulteriores determinationes pertinent ad explicationem theologicam» AS III/VIII, 61, 13. Recte observat G. GHIRLANDA: «La "potestas capitis" non viene al Papa dal sacramento, in quanto relativamente a questo è del tutto uguale ad ogni altro vescovo, ma viene direttamente da Dio, per via non sacramentale». *Hierarchica communio* (Roma 1980) 423. Ipsius laicis praevidentur officia in Const. *Lumen Gentium* 35 d, sola consecratione baptismali initiatis. De facto nunc plura officia sacra nonnullis eorum conferuntur. Cf. v. gr. cann. 228. 230. 1182 etc. Cf. etiam Pius XII in AAS 49 (1957) 924.

Tandem non obstat factum in Concilio Vaticano II expresse acceptatum vel in mentem revocatum de ministris sacris Ecclesiae orthodoxae. Necessitas communionis ecclesialis in ministris conficientibus sacramenta ultra modum percutiebat animum S. Cypriani in Occidente et Firmiliani in Oriente<sup>320</sup>, itemque alios praesertim inter schismata et acutiores abusus simoniae. Non satis perspiciebant quandam communionem cum Ecclesia catholica habere omnes eos qui baptismum receperint<sup>321</sup>; et similiter, communionem hierarchicam imperfectam, sed ad illum finem sufficientem haberi posse, et haberi de facto, prae aliis communitatibus christianis, in Ecclesia orthodoxa, apud quam validum sacerdotium conservatum est<sup>322</sup>; unde et quaedam intercommunicatio in sacris cum ea permittitur in sacramentis Eucharistiae, paenitentiae et unctionis infirmorum<sup>323</sup>.

Episcopis, igitur, orthodoxis, stante sufficienti communionem hierarchica cum Collegii Capite et membris, in consecratione episcopali conferuntur tria munera sanctificandi, docendi et regendi. Insuper gaudent quoque expedita potestate sive ordinis ad sanctificandum, sive iurisdictionis ad authentice docendum et gubernandum. Qua via illis hae potestates communicentur Concilium considerare noluit dum factum testabatur, eam relinquens theologis declarandam<sup>324</sup>.

---

<sup>320</sup> Cf. Periodica 77 (1988) 299-330.

<sup>321</sup> «Hi enim qui in Christum credunt et baptismum rite receperunt, in quadam cum Ecclesia catholica communione, etsi non perfecta, constituuntur». Decretum *Unitatis reintegratio*, 3 b, cf. *ibid.* 22.

<sup>322</sup> Cf. UR 15; AS III, VIII, n. 43, pag. 63.

<sup>323</sup> Cf. *Decretum Orientalium Ecclesiarum*, 27; can. 844 § 2.

<sup>324</sup> Cf. AS III, VIII, n. 43, pag. 63. Emendationes propositae «propter considerationes orthodoxorum» supposebant episcopa-

Aperiebat, autem, istis viam quamdam, dum tradebat episcopis missionem canonicam evenire posse «per legitimas consuetudines, a Suprema et universali Ecclesiae auctoritate non revocatas, vel per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directe per ipsum successorem Petri».<sup>325</sup> Et, eloquenti nostri proposito sententia, concludebat: «quo [successore Petri] renuente, seu communionem apostolicam denegante, episcopi in officium assumi nequeunt»<sup>326</sup>, hoc est, munera eis collata manent suspensa, inoperativa, quia nondum expedita ad agendum.

Concludendum videtur in conformitate cum doctrina Concilii: tripex munus confertur in consecratione episcopali, remote praeparans potestatem sacram ad missionem pastorem exercendam, sanctificando fideles eosdemque docendo et regendo. Proximae autem applicantur haec munera in servitium communitatis interveniente auctoritate suprema ad ea expedita reddenda in concessione particularis officii vel in assignatione subditorum. Sic munera complentur in potestates. Potestas ordinis, seu sanctificandi<sup>327</sup>, quatenus effectus habeat potissimum coram Deo, sine respectu necessario ad Ecclesiam in stadio terreno, v.

---

tum exerceri in Ecclesia orthodoxa. Quaerebant indicationem circa exercitium. Respondebatur: «Textus... in explicationem theologicam et canonicam de sacra potestate apud orthodoxos non intrat».

<sup>325</sup> LG 24 b.

<sup>326</sup> Ibid.

<sup>327</sup> Observavit U. NAVARRETE: «Concilium vitavit referentiam facere ad distinctionem potestates ordinis et iurisdictionis, etsi aliquando haec distinctio sublateat et saltem semel potestatem ordinis [cf. PO 2] expressis verbis memorat». Periodica 60 (1971).

gr. cum offertur Deo sacrificium in quantum latreuticum et eucharisticum, exerceri fortase possit valide a sacerdote etiam invito aut contradicente Romano Pontifice, ut frequenter sustinebant canonistae mediaevales per contrapositionem ad cetera sacramenta<sup>328</sup>. Sed eadem potestas, quatenus relationem habet ad communitatem Ecclesiae sub unico Capite summo visibili constitutae, impediri potest in suo exercitio a supremo Capite secundum exigentias boni communis, et non exercetur sine connexione cum potestate regiminis. Haec, vero, potestas ordinata ad docendum et regendum, *natura sua*, hoc est ex dispositione divina, communicatur episcopis, saltem in actu secundo; sed ut videtur ex toto per canonicam seu iuridicam determinationem, factam a Romano pontifice secundum normas ipsi probatas<sup>329</sup>.

Haec si ita sint quoad potestatem regiminis, et si stricte exercitium potestatis sanctificatoriae non sit in

---

<sup>328</sup> Dicendo de *potestate sacra* in genere Concilium accedit ad modum mediaevalem. Sed saepe, ad claritatem, oportet recurrere ad illam distinctionem, quam iam S. Cyprianus cognovit. Cf. *Periodica* 77 (1988) 300.

<sup>329</sup> Recensendo opus *Executio potestatis*, auctore A. Zirkel (cf. n. 259), sic exprimebat M. Kaiser propriam mentem de potestatis sacrae collatione secundum Vaticanum II: «Diese ist zwar an den sakramentalen Ordo gebunden, wird aber nicht durch diesen allein übertragen, sondern nur jeweils in dem Umfang, als mit dem sakramentalen Ordo eine aussakramentale kirchliche Sendung verbunden ist». Haec missio dari potest etiam per legem, secundum LG 24. Et in Ecclesia Occidentali haec missio ecclesialis datur per legem simul cum collatione ordinationis sacerdotalis (non per eam) pro Eucharistia et Unctione infirmorum; pro confirmatione et ordinatione, simul cum collatione consecrationis episcopalis, (non per eam). Per solum sacramentum ordinis nulla confertur potestas exercitio prompta. Cf. *Theologische Revue* 74, 1978, 14-15.

Ecclesia sine aliquo interventu potestatis regiminis, logica necessitate sequitur Romanum Pontificem habere potestatem invalidandi actus quorum exercitium dependet ab eo concedente vel denegante, sive totaliter, sive saltem ex ea parte quae est necessaria ad valide agendum.

MARCELINO ZALBA, S.J.